damnant̃ ſine fine. ⁊ eis indicitur eterna
pena ⁊c̃.

¶ De Aſſumptione Marie virginis.

Sermo primus.

SUrge domine
in requiem tuā tu ⁊ archa ſanc
tificatōis tue ⁊c̃. Pſal. Qd̄ criſti corpus
glorioſe reſurrexit omnibꝫ fidelibꝫ eſt cer
tum. ꝙ autē corpus beate Marie virgīs
glorificatum ſurrexerit ⁊ ſi non ſit certum
eſt tamen pie credendū. ꝙ autem corpora
ſanctoꝝ que cum chriſto ſurrexerunt ſint
glorificata inter multos doctores vertit̃
in dubium. Propheta igit̃ dimittēs illd̄
quod eſt dubium. ponit quod certum eſt
dicens Surge domine in requiem tuam
Et illud quod pie eſt credēdum cū dicit.
Tu ⁊ archa ſanctificatōis tue. archa iſta
eſt beata virgo filij dei ꝯtentiua. Et ē ſanc
tificatōnis. quia in matris vtero fuit ſan
ctificata. Iſta autem archa ſurrexit in re
quiem. id eſt in corpis ⁊ anime plenam fe
licitatē. Hodie quidem ſurrexit de tumu
lo quia immortalitatis gloria fuit induta
Surrexit de mundo. quia hodie in celum
eſt glorioſe aſſumpta. ¶ Circa cuius aſ
ſumptionem duo ſunt videnda. Primo
qualiter ſit aſſumpta. Secundo ſcd̄m qd
ſit aſſumpta Eſt autē virgo maria aſſum
pta quadrupliciter. ſcꝫ cum honorabili ſo
cietate. cum ineffabili iocunditate. cū mi
rabili claritate. ⁊ cum terribili poteſtate. ¶
Primo quidem virgo maria aſſumpta ē
cuꝫ honorabili ſocietate quod ſignificatū
eſt. ij. Reguꝫ. vi. vbi dicit̃ ꝙ dauid ⁊ oīs
yſrahel deducebant archam domini cum
gaudio ⁊ erant cum dauid chori ſeptem.
Per dauid ſignificat̃ chriſtus. p ſeptem
choros intelligit̃ vniuerſitas hominū an
geloꝝ ⁊ ſanctoꝝ quia per ſeptenarium nu
merum vniuerſitas accipit̃. Vel p ſeptē
choros intelligunt̃ tres chori qui fuerunt
ante nouū teſtamētū. ſ. angeli patriarche
⁊ ꝓphete. Et quatuor qui fuerūt ī nouo.
ſcꝫ martires ꝯfeſſores ⁊ virgines ⁊ etiaꝫ
ipſi apoſtoli qui eius exequijs interfue
runt. De iſta honorabili ſocietate cantat
eccleſia. Sicut dies verni circumdabant
eam flores roſarum ⁊ lilia cōuallīū. Per
flores roſarum intelligunt̃ omnes mar
tyres ſanguine rubricati. Per lilia cōual
lium intelligunt̃ omnes angeli ꝯfeſſores
⁊ virgines ⁊ etiam apoſtoli qui eius exe
quijs interfuerunt qui omnes eam circū
dederunt ⁊ eam aſſociauerunt. ¶ Secundo
eſt aſſumpta cum ineffabili iocunditate.
quod ſignificatum eſt. ij. Regum. vi. ca.
vbi dicit̃ Dauid ⁊ omnis yſrahel dedu
cebant archam teſtamēti domini cum iu
bilo ⁊ clangore buccine ⁊ ludebāt coram
domino in omnibus lignis fabrefactis
⁊ citharis ⁊ lyris. Vbi notādum ꝙ ſicut
dicit Auguſtinus ſuper pſalm̄. eſt triplex
ſonus muſicus. vnus qui fit cum voce ſi
cut in cantu Alius qui fit cum flatu ſicut
in buccina. Et tercius qui fit in pulſu ſi
cut in cithara. Iſte triplex ſonus tangit̃
hic. Sonus qui fit cum voce cum dicit̃.
In iubilo. Eſt enim iubilatio cantus mo
dulatio. Sonus qui fit cum flatu cū dr̄.
In clangore buccine. Sonus qui fit cū
pulſu cum dicitur. In omnibus lignis
fabrefactis ⁊ citharis ⁊ liris. Per hoc qd̄
dicitur ꝙ iſta archa deducta eſt cum iubi
lo ⁊ in buccina ⁊ ī cithara datur intelligi
ꝙ ibi fuerunt omnes ſpecies ſonorum et
omnia genera muſicorum. ¶ Tercio aſſum
pta eſt cum mirabili claritate. Canti. vi.
capitulo. legitur. Que eſt iſta que progre
ditur quaſi aurora conſurgens pulchra
vt luna. electa vt ſol. terribilis vt caſtro
rum acies ordinata. Apocalypſis. duode
cimo capitulo. Signum magnum appa
ruit in celo. mulier amicta ſole ⁊ luna ſub
pedibus eius ⁊ in capite eius corona ſtel
larum duodecim. Ex quibus verbis pa
tet ꝙ ipſa aſcendit cuꝫ claritate corꝑali ⁊

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

iſta eſt claritas aurore. Sicut eñ aurora
poſt noctem oritur tamen nullam obſcuri
tatem retinet. ſic etiam licȝ caro eius nata
fuerit de corruptibili carne nullam tamen
ſenſit corruptõem ſed omneȝ depoſuit mi
ſeriam ⁊ penalitatẽ. Aſcendit cum clarita
te ſpũali .i. cum anima que tota fuit luce
perfuſa. ⁊ iſta eſt claritas lune. Sicut eñ
luna poſt ſolem maiorẽ habet lucem. ſic ⁊
ipſa poſt filium maiorẽ habet cognitõem.
Aſcendit cum claritate ſupſubſtantiali .i.
cum filio ſuo qui obuiã ſibi venit ⁊ iſta eſt
claritas ſolis. Aſcendit cũ claritate intel/
lectuali .i. cum toto exercitu angelorum. ⁊ iõ
dr. Terribilis vt caſtrorũ acies ordinata.
quorum quidam precedebant vt domicelli.
quidam vero comitabantur tanq̃ȝ bauli.
quidaȝ ſubſequebant̃ tanq̃ȝ famuli. Om
nes aũt eã aſſociabant tanq̃ȝ ioculatores
deuoti. Aſcendit cũ claritate rationali. id
eſt cũ omnibꝫ apoſtolis qui eius aſſump
tioni interfuerũt. ideo dr ꝙ habebat coro/
nam .xij. ſtellarum. ¶ Quarto aſſumpta ẽ cũ
terribili ptãte. qꝛ omnes demones pterri
ti fugerunt. Nec mirum. fuerunt enim territi
a tã honorabili ſocietate. Can. vij. Quid
videbis in ſunamite niſi choros caſtrorum.
id eſt ordines angelorum. Vulnerati a tam
ineffabili iocunditate. qꝛ ſicut dr Eccleſ.
xxij. Muſica in luctu importuna narratõ
eſt. Excecati a taȝ mirabili claritate inſtar
noctue que ad lucem ſolis excecat̃. Tre/
mefacti a tam terribili poteſtate inſtar eñ
canum virgam veſſe fugiunt a qua plagã
acceperunt ⁊c̃. ¶ Secundo videndum eſt
ſm quid ſit aſſumpta. quia non ſolum q̃ȝ
tum ad animã ſedeciam quantum ad cor
pus eſt glorificata. Et ſm hoc aſſignat au
guſtinus quatuor rationes. Prima eſt. qꝛ fuit
mater xpi deifica. ⁊ ideo debuit a filio ſub
limari. Voluit enim xpus totus eſſe ma/
tris ſm carnem. vt ſicut patrem carnaleȝ nõ
haberet. Voluit ⁊ matrem totam eſſe ſuã
vt alios filios non generaret. Qui ergo

matrem noluit cõmunicari homini nunq̃d
eam cõmunicabit vermi. Quia ex ea nolu
it generari filios carnales. nunquid ex ea
voluit generari vermes. Ipſe enim prece
pit cuilibet ſuum patrem ⁊ matrem hono
rare. Qui ergo tantũ honorat ſanctos ſu
os alios in terris quomodo matris ꝑtem
ſiuit honorem. Quomõ ergo filium a vicõ
irreuerentie erga matreȝ. ⁊ ingratitudinis
erga hoſpitam. ⁊ fallacie erga amicã oſten
demus immunem. ſi eam quã in vita pre
alijs dilexerat pre alijs dereliquit in fine
¶ Secunda ratio eſt. quia fuit chriſti fide/
lis miniſtra. Vnde aug⁹. De ſuis mini/
ſtris veritas dicit. Vbi ego ſum illic ⁊ mi
niſter meus erit Si maria ibi erit nũquid
equali gratia Et ſi equali gratia vbi equa
dei cenſura que reddit vnicuiq̃ȝ ſcdm me
rita. Si pre omnibꝫ viuentibus marie vi
uenti donata eſt gratia mortue erit minu/
enda. Abſit. Miniſtrauit autem chriſto ĩ
vtero materiam corporis preparando. ex
tra vterum in ſua infantia eum alendo. et
in egyptum fugiendo. in ſua puericia. ad
feſtiuitates eum ducendo. in ſua iuuentu
te ad nuptias aſſociando. in morte cruci
aſſiſtendo. poſt mortem omnia loca eius
deuotiſſime frequentando. poſt aſcenſio/
nem ei ſedulas preces offerendo. vt habe
tur Actuum primo ¶ Tercia ratio eſt. quia
fuit veſtis chriſti deaurata. Nullus enim
rex pateretur veſtimentum ſuum a vermi/
bus corrodi. Auguſtinus. Si elegit di/
uina voluntas inter ignium flammas pu
erorum veſtimenta ſeruare illeſa. cur ab/
nuat in matre propria quod elegit in veſte
aliena. Conueniens autem fuit vt in co/
ronatiõe regine celi ſit etiam ornatus cor
poris ſui. Cui rex in eodem ornatu appa/
reat. Vt ſicut in corpore regis ſcriptum
eſt. Rex regum et dominus dominanti/
um. ſic ⁊ in corpore ipſius regine ſcriba/
tur. Regina reginarum. ⁊ domina domi
narum ¶ Quarta ratio eſt. quia ſcilȝ fuit

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

theſaurus chriſti ⁊ gemma precioſa. ideo
debuit in celeſti theſauro recōdi. vñ Aug.
Thronū dei thalamū domini celi taberna
culum chriſti dignū eſt ibi eſſe vbi ipſe eſt
Tam precioſum theſaurꝝ dignius ē celū
ſeruare ꝙ̄ terra. Illud ſacratiſſimū corp⁹
in eſcam vermibꝫ traditum q₂ ſentire nō
valeo dicere ꝑtimeſco.

De eodem Sermo. ij.

Mulier amicta ſole ⁊ luna ſub pe
dibꝫ eius ⁊ ī capite eius corona
ſtellaꝝ. xij. ⁊ in vtero habens ⁊c.
Apo. xij. Gloriam domini deſcribens Io
hannes euangeliſta oſtēdit eam iſtius ex
omni ꝑte luminoſam ⁊ glorioſam. Primo
eſt luminoſa a ꝑte ſupiori. q₂ in capite hꝫ
coronā. xij. ſtellaꝝ. Stelle. xij. ſunt nouē
ordines angeloꝝ ⁊ tres ordines beatoꝝ.
ſcꝫ martires ꝯfeſſores ⁊ virgīes. qui oēs
ipſam coronāt. quia eam venerant̄ ⁊ lau
dant. Seraphin enim mirant̄ ⁊ laudant
in ipſa caritatem tam ſuccenſam. Cheru
bin ſapientiam tam ꝓfundā. Throni pa
cem ⁊ quietem in deo tam tranquillam.
Dominationes tam magnam ⁊ tantam
ſuꝑ angelos p̄eminentiā. Virtutes tātā
miraculoꝝ efficaciam. Poteſtates tantā
ſuper demones potentiam. Principatus
tantam de omnibꝫ regnis ꝓuidentiā. Ar
changeli tantam de omnibꝫ locis diligē
tiam. Angeli tantam de ſingulis ꝑſonis
cuſtodiam. Martires tantam in tribula
tionibꝫ ꝯſtantiam. Confeſſores tantā ſo
brietatem ⁊ temperantiā. Virgines tantā
puritatem ⁊ mūdiciam. ¶ Scḋo eſt lumi
noſa a parte inferiori. cum dicit̄. Et luna
ſub pedibꝫ eius. per lunam mutabilitas
deſignat̄. Eſt autem quadruplex mutabi
litas. Vna eſt nature que etiam eſt in an
gelicis ſpiritibꝫ qui ſunt mutabiles ꝑ na
turam. ſed ſunt immutabiles facti ꝑ gra
tiam. Iſta talem lunam habet ſub pedibꝫ
q₂ omnes angeli eius imꝑio fauent. De
hoc Geñ. xxxvij. Vidi quaſi ſolē ⁊ lunā
⁊ ſtellam. ⁊ ſtellas vndecim adorare me.
Per ſolem intelligit̄ ſuprema ierarchia.
per lunam media. ꝑ ſtellas vero vltima.
Secunda eſt mutabilitas fortune. Ecci.
xxvij. Stultus vt luna mutat̄. Iſtā etiā
lunam ſub pedibꝫ habuit. q₂ omnia terre
na calcauit ꝑ pauꝑtatem voluntariā quā
elegit. Dicit̄ autem Deu. xi. Omnis lo
cus quē calcauerit pes veſter. veſter erit.
Si enim temporalia calcaremus ſub pe
dibꝫ ⁊ ea non tangeremus affectibꝫ vera
citer noſtra eſſent. Tercia eſt mutabilitas
culpe. Pſalm̄. Per diem ſol non vret te.
neqꝫ luna ꝑ noctem. Anima enim ſancta
nec in die ꝓſperitatis cadit in peccatū per
intemperantiam. neqꝫ in nocte aduerſita
tis ꝑ impatientiam Iſtam lunam ſub pe
dibꝫ habuit. quia nulla culpa vnqꝫ in ea
preualere potuit. Vnde Augu. in libro de
natura ⁊ gratia. Excepta ſancta virgine
maria. ſi omnes ſancti ⁊ ſancte interroga
ti fuiſſent vtꝝ ſine peccato eſſent. reſpon
diſſent. Si dixerimus quoniā peccata nō
habemus. nosipſi nos ſeducimus ⁊ veri
tas in nobis non eſt. Excepta hac ſancta
virgine de qua ꝓpter honorem domini cū
de peccatis agit̄. nullam ꝓrſus volo men
tionē habere. Quarta eſt mutabilitas mi
ſerie. Pſal. Orit̄ in diebꝫ eius iuſticia
⁊ abundantia pacis donec auferat̄ luna.
Gloſa. i. mutabilitas que quidem in re
ſurrectōne aufert̄. ad Ro. viij. Ipſa crea
tura liberabit̄ a ſeruitute corruptōnis ⁊c.
Et iſtam lunam ſub pedibꝫ eius habet q₂
ꝑfectam corporis immortalitatē poſſidet
⁊ ſuꝑ angelos glorificata manet. Pſal.
Caligo. i. humana mortalitas ſub pedi
bus eius. ⁊ aſcendit ſuꝑ cheru. ⁊ vola. ⁊c
¶ Tercio fuit luminoſa a parte interiori qḋ
notat̄ cum dicit̄ In vtero habens. Ha
bebat enim in vtero paternū ſplendorem
Hebre. j. Qui cum ſit ſplendor glorie ⁊c
Niueum candorem. Sap. vij. Candor ē
enim lucis eterne ⁊c. Diuinum odorem.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Eccleſ.xxiiij. Ego quaſi vitis fructifica-
ui ſuauitatem odoꝛis. Suauem dulcoꝛẽ
illum ſcʒ qui dicit ibidem. Spũs meus
ſup mel dulcis ⁊c̃. Ignem celeſtem. He-
bre.xij. Deus noſter ignis cõſumens eſt.
Quia igit̃ in ſuo vtero habuit paternum
ſplendoꝛẽ ibi remanſit mirabilis claritas
Unde ambꝛo. Quid nobilius matre dei.
quid ſplendidi? ꝙ̃ ſplendoꝛ elegit. Quia
habuit niueũ candoꝛẽ ibi remanſit mirabi
bilis puritas. Unde anſel. Decebat vt v̾
go beata ea puritate niteꝛ qua maioꝛ ſub
deo nequit intelligi. Quia habuit diuinũ
odoꝛem ibi remanſit mirabilis ſuauitas.
Eccl.xxiiij. Sicut cynamomũ ⁊ balſamũ
aromatizans odoꝛẽ dei Quia habuit ſua
uem dulcoꝛẽ ibi remanſit mirabilis pie-
tas. Unde dr̃ mater grẽ ⁊ mĩe. Quia ha-
buit ignẽ celeſtem ibi remanſit mirabilis
caritas per quã dyabolũ ſuccendebat Iu
dith.iij. Percuties eum labijs caritatis
mee. Per quã omnia terrena ꝯtemnebat
Iere.ij. Recoꝛdatus ſum tui. miſerans
adoleſcentiã tuam ⁊ caritatem deſponſati
onis tue qñ ſecuta es me in deſerto ⁊c̃. per
quã omnia aduerſa patienter ſuſtinebat.
Can.viij. Aque multe non poterint extin
guere caritatem. ¶ Quarto fuit luminoſa
a p̃te exteriori cum dr̃. Amicta ſole.i.im-
moꝛtali coꝛpoꝛe. ps. Omnis gloꝛia eius
filie regis ab intus ꝙ̃tum ad gloꝛiam aĩe
circũdata varietate ꝙ̃tum ad dotes coꝛ-
poꝛis que redundat ab intus ab anima in
coꝛpus. Siquidẽ ex redundantia prudẽ
tie reſultat in eius coꝛpe claritas. ⁊ ex re-
dundantia foꝛtitudinis impaſſibilitas. ex
redundantia ꝯpantie ſubtilitas. ex redun
dantia iuſticie que omnes vires circuit re
ſultat agilitas

¶ Eodem die. Sermo.iij.

Tota pulchꝛa es amica mea. et
macula non eſt in te ⁊c̃. Can.iiij.
Sponſus celeſtis volens ſponſe
ſue pulchꝛitudinem ⁊ dignitatem oſtende

re quatuoꝛ implicat in verbis p̄miſſis.
ſcʒ ꝙ fuit ſine macula. ꝙ fuit dei amica.
ꝙ fuit pulchꝛa. ⁊ ꝙ modo eſt tota pulcra
¶ Primo enim fuit ſine macula per oĩs pec
cati immunitatẽ. Ipſa quidẽ liberꝫ arbi-
triũ in bono ꝯfirmatum habuit. ⁊ iõ nulli
peccato ꝯſentire potuit. Potentia eñ libe
ri arbitrij vno modo ꝯſideratur, put ſe ha-
bet indifferenter ad peccandũ ⁊ non peccã
dum. ⁊ hoc mõ ꝯſideratur quaſi indiſpoſi
tio ad hoc vel ad illud. ⁊ hoc modo fuit in
adam in ſtatu innocentie Eccl.xv. Deus
ab inicio creauit hominẽ ⁊ reliquit euʒ in
manu ꝯſilij ſui. Secundo cũ diſpoſitione
ad peccandũ. ⁊ hoc modo eſt in regenera-
tis per baptiſmũ. qꝛ fomes ab eis non au
fert̃. Tercio cũ neceſſitate ad peccandum
⁊ hoc modo eſt in nõ regeneratis p baptiſ
mum in quibꝫ fomes non tñ eſt diſpoſi-
tio ad peccandũ. ſed quedam neceſſitas.
Quarto cum diſpoſitõe ad nõ peccandũ.
⁊ hoc modo eſt in angelis ⁊ beatis. ⁊ fuit
in beata virgine poſt gratiam ſue ſanctifi-
cationis vltime. ⁊ ꝙ̃tum ad hoc licet exi-
ſtens in via fuit in ſtatu angeloꝝ ⁊ beatoꝝ
¶ Secundo fuit dei amica per feruentẽ ca
ritatẽ. Diſtinguit aũt dyoni. in deſcriptõ
ne ſeraphin ꝙ̃tuoꝛ gradus caritatis. Di-
cit enim eoꝝ dilectõem eſſe mobilem. cali
dam. acutã. ⁊ ſuperferuidã. Iſti quatuoꝛ
gradus in beata virgine reperiunt̃. Amoꝛ
etiã dei fecit eaʒ mobilem.i. dei preceptis
valde obedientẽ qñ ſcʒ ipſa dixit Ecce an
cilla ⁊c̃. Fecit eam calidã.i. alta virtutum
feruenter ꝯſcendentẽ qđ ſignificat̃ per hoc
ꝙ ꝯcepto dñ̃o mox cum feſtinatõne abijt
in montana. Fecit eam acutã.i. alta celo-
rum ſecreta penetrantẽ. Eccl.xxiiij. Gyꝝ
celi circuiui ſola ⁊c̃. Fecit etiã eam ſupfer
uidã in ſolo dei amoꝛe quieſcentẽ Can.v
Annũciate dilecto qꝛ amoꝛe lãgueo ¶ Ter
cio fuit pulchꝛa p oĩmodam mentis ⁊ coꝛ
poꝛis puritatẽ. Eius eñ puritas fuit pfe
cta. impmixta ⁊ ꝯtinua. Fuit pfecta quia

cum triplex ſit puritas.ſ.humana.angeli
ca ⁊ diuina. Ipſam diuinam puritatē in
vtero nouem menſibus portauit Ipſam
puritatem angelicam tranſcēdit. omnem
puritatem humanam vniuerſaliter ſupa
uit Secũdo eius puritas fuit impmixta
Non enim habuit admixtõnem origina/
lis.quia fuit in vtero a ſpũſancto ſancti/
ficata. Nec admixtionem mortalis.quia
fuit a patris potentia cõfirmata. Nec ad/
mixtionem venialis.qꝛ fuit a puritate filij
impregnata. Judith.xiij. Viuit domin⁹
quia cuſtodiuit me angelus eius ⁊ hinc
euntem ⁊ ibi cõmorantem ⁊ huc reuertē/
tem. Cuſtodiuit enim eam dominus ⁊ in
mundũ euntem. quia ipſam ab originali
peccato purgauit.⁊ in mundo cõmorantē
quia ipſam a mortali ꝯſeruauit.⁊ ad pa/
triam reuertentē.qꝛ ſine macula venialis
peccati de mundo exiuit. Tercio eius pu/
ritas fuit ꝯtinua.nũq̄ꝫ enim fuit interru/
pta Eccle.xxiiij. Vſqꝫ ad futurum ſeculũ
non deſinam.⁊c. Nunq̄ꝫ interpolata.quia
fuit a deo ꝯfirmata. Ibidem. Et ſic in ſy
on firmata ſum.⁊c. Nunq̄ꝫ diminuta.ſer/
uabat enim illud dictum ꝓphete Exerci/
tabar ⁊ ſcopebam ſpiritum meum.ſed ſꝑ
fuit augmētata.immo totaliter vltimata
⁊ deiformis effecta. Vnde Iheronimus.
Jure ſole ꝑhibet̃ amicta que luce immar
ceſſibili videt̃ immerſa. neqꝫ ſummatim
tangi.ſed operiri magis ⁊ circumfundi ⁊
tanq̄ꝫ illo igne cõcludi. Quarto fuit tota
pulchra. Ex hoc autem habet̃ ꝙ ⁊ in cor/
pore ⁊ in anima ſit aſſumpta. Si enim a/
nima glorificata eſſꝫ. ⁊ caro putrefacta in
terra iaceret tota pulchra non eſſet. Hoc
autem competit diuine potentie. ſapiētie
iuſticie ⁊ bonitati. Potentie quidē Vnđ
dicit Auguſtinus Si iheſus quē ſcimus
omnia poſſe voluit in matre integrum ſer
uare pudorem.cur non velit eam a putre/
dinis ſeruare fetore. Quis niſi peruerſi ſen
ſus audeat dicere ꝙ matrem quam a pu
trefactõne faciliter ſeruare potuit.ſeruare
noluerit. Hoc etiam competit diuine ſa/
pientie ſicut dicit̃ Prouerbiorum.ix.ca.
Sapientia edificauit domum ſuam ⁊c.
Sapiens architectus domũ pulcram fa
cit intus ⁊ extra. Talem chriſtus in pñti
vita matrem ſuam ſibi edificauit.ſcꝫ pul
chram intus in mente ꝑ puritatem.⁊ exte
rius in corpore ꝑ virginitatem. Si igitur
diuina ſapientia tam pulchram eã in cor
pore ⁊ in anima edificauit non debuit in
morte iſtam pulcritudinē ſibi diminuere
ſed magis augere. Competit etiaꝫ hoc di
uine iuſticie. honorat quidem multorum
ſanctorũ corpora.honorat etiam ⁊ ſua tor
menta ſicut crucem clauos ſpineam coro
nam ⁊ lanceaꝫ. Si in tanto honore habet̃
crux ſancta in qua corpus chriſti ad horã
requieuit. in quanto honore debet habere
matrem ſuam glorioſam. in cuius vtero
nouem menſibus requieuit ⁊ habitauit.
Et ſi in tanto honore habent̃ corpora ſan
ctorum ex eo ſcilicꝫ ꝙ fuerunt organa ſpi
ritusſancti. in quanto honore tunc haberi
debet corpus illud.quod fuit ſpiritusſanc
ti organum.⁊ chriſti ſpeciale domicilium
immo totius trinitatis nobile triclinium
Si in tanto honore habent̃ imagines pic
te.in quanto honore debet haberi illđ cor/
pus in quo filius qui ē imago patris ha
bitauit. In quo quidē imago dei ſibi im/
preſſa illibata permanſit. In quo ⁊ ꝑ qđ
imago noſtra que erat corrupta reparata
fuit. Competit etiam hoc ſue bonitati.bo
ni q̄ꝫ filij ſemꝑ intereſt magis ꝑcere matri
q̄ꝫ ſibiipſi. Conſtat autē ꝙ filius ſibiipſi
ꝑcere noluit ab illa generali ſentētia qua
dicit̃.puluis es ⁊ in puluerem reuerteris
⁊ matrem ſuam excepit ab illa alia ſentē/
tia qua dicitur In dolore paries. Quare
ergo non excepit a prima ſcilicꝫ ne in pul
uerem reuertatur.quia tam bonus filius
extitit ꝙ etiaꝫ inter paſſionis vulnera cu
ram habuit de matre dilecta. Taꝫ bonus

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

filius fuit ꝙ in ortu voluit flere ⁊ matrē
gaudere voluit. Qui igitur mortalis tan
tam curā de ea habuit. nunquid fact⁹ glo
rioſus de ea amplius non curabit. Abſit
Requirit ergo potentia dei. ſapientia. iu
ſticia. ⁊ bonitas ꝙ virgo mater non tm̄ in
anima ſit glorificata ſedetiā in corpore ſit
ſtola immortalitatis induta.

¶ Eodem die. Sermo. iiij.

Que eſt iſta que ꝓgredit̄ quaſi au
rora ↄſurgens pulchra vt luna. e
lecta vt ſol. terribilis vt caſtrorū
acies ordinata. Canti. vj. Celeſtes ſpūs
claritatem virginis eiuſqꝫ gloriam ⁊ lau
dem ammirantes inter ſe querunt ⁊ dicūt
Que eſt iſta que ꝓgreditur quaſi aurora
ↄſurgens ⁊c. ¶ Admirant̄ autem eam quā
tum ad quadruplicem eius ſtatum. Pri
mo quantū ad ſuum ortū cum ſcꝫ dicūt.
quaſi aurora. quia ab omni peccati tene
bra eſt expurgata ⁊ luce gratie diuine per
fuſa. Ceteri ſancti cū peccato originali cō
cipiunt̄ ⁊ naſcuntur. Chriſtus aūt fuit ſi
ne peccato originali ↄceptus ⁊ ſine origi
nali natus. Uirgo aūt maria medium lo
cum tenet q2 fuit cū peccato originali ↄcep
ta ⁊ ſine origīali nata. Iſta triplex differē
tia tangit̄ Job. iij. vbi dr̄ de die culpe ori
ginalis que incepit quando apti ſunt ocu
li ade obtenebrentur ſtelle caligine eius.
Stelle enim. i. ceteri ſancti illo die culpe
originalis ſunt obtenebrati. q2 fuerunt cū
peccato originali cōcepti ⁊ nati. Expectet
lucem. i. xp̄m ⁊ non videat. Iſte eīn dies
culpe non vidit xp̄m nec in ſuo ↄceptu nec
in ſuo ortu. Nec ortum ſurgentis aurore.
Auroram ſiquidē. i. virginē beatam vidit
q̄ntum ad ↄceptum ſed non q̄ntum ad or
tum. Neceſſe aūt fuit vt iſta aurora nobiſ
orirer̄. Ante enim eius ortum homo inſe
ſtabat̄ in temptationib9. infirmus erat ad
incipiendū bonū. ⁊ debilis ad pſeueran
dum. ſed adueniente iſta aurora demōes
in infernū fugiunt. hoīes meritorie opari
poſſunt. ⁊ vſqꝫ ad finem opus perducunt
Iſta tria tangunt̄ in ps. Ortus eſt ſol et
ↄgregati ſunt. ⁊ in cubilib9 ſuis colloca
bunt̄. quo ad primū. exibit homo ad op⁹
ſuum quo ad ſecūdū. ad opationem vſ
qꝫ ad veſperam quo ad tercīū. Neceſſe eti
am fuit vt iſta aurora oriret̄. q2 ante ange
li officiū ſuum circa homines non exerce
bant qđ eſt illuminare ⁊ purgare. ⁊ pfice
re. ſed adueniente iſta aurora ceperūt nos
diſponere ad illuminatōem gratie. purga
tionem culpe. ⁊ pfectionem glorie. Iſtud
notat̄ Gene. xxxij. vbi dixit angelus Ja
cob. Dimitte me aurora eſt. qui dimitte
re noluit angelū donec triplicem gratiam
impetrauit. ſcꝫ illuminationem intellecti
ue per hoc ꝙ iſrahel ſibi nomen impoſuit.
purgationem affectiue ꝑ eo ꝙ neruus
femoris eius emarcuit. ⁊ perfectionē glo
rie per hoc ꝙ eum benedixit. ¶ Secūdo mi
rant̄ ſpūs celeſtes virginem quantum ad
ipſius ꝓgreſſum. cum addūt. pulchra vt
luna. Ipſa autem nunqꝫ aliquam macu
lam habuit in cogitationib9. quia ſemper
fuerunt ſancte. nec in affectionibus. quia
ſemper fuerunt munde. nec in intentioni
bus. quia ſemper fuerunt recte. Cantico.
iiij. Tota pulchra es amica mea ⁊ macu
la non eſt in te ⁊c. Fuit namqꝫ in cogita
tionibus tota pulchra. in affectionibus ſi
ne macula. ¶ Secundo luna habet lucem
variatam. ⁊ ſepe obſcuratam. Eſt autem
luna feſtiuitatum diſtinctiua. Eccleſiaſti
ci. xliij. A luna ſignum dici feſti. In viſio
ne namqꝫ iſtius lune ſemper magnum fe
ſtum facit deus. angelus. ⁊ homo beatus
Nam deus de hoc habet magnam glori
am. angelus magnam leticiam. homo be
atus magnam honoris excellentiam. Ju
dith. xv. cap̄. Tu gloria iheruſalem id eſt
ipſius dei qui eſt viſio pacis. tu leticia iſ
rahel id eſt angelorum qui deum facie ad
faciem ſemper vident. tu honorificētia po
puli noſtri. id eſt omnium ſanctorum et



Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

beatoꝝ. de quoꝝ progenie ipſa deſcendit.
Fuit autem pulchra vt luna in ſua ꝯuer
ſatione. ⁊ in ſua vita immo pulchrioꝛ ꝙ̃
luna. qꝛ luna habet lucē multis maculis
reſperſam. Aliquando lucet in principio
⁊ ſignificat bene incipientes. Aliquando
in fine noctis ⁊ ſignificat perſeuerantes.
qñqꝫ ꝑ totam noctem. ⁊ ſignificat vitam
bonam ꝯtinuantes. Virgo autem maria
fulſit ⁊ in ſuo principio qꝛ fuit ī vtero ſan
ctificata. In medio qꝛ fuit filio dĩ illuſtra
ta ⁊ ſancte ꝯuerſata. ⁊ in ſuo vltimo qꝛ in
anima ⁊ corꝑe fuerat glorificata. Per no
ctem etiam ſignificari poteſt temptatio ⁊
tribulatio Quidam enim ſancti adiuuãt
in principio temptatiõis. quidã in medio
quidam vero iuuãt in fine. ſed btã maria
ſemꝑ adiuuat ⁊ in principio dãdo ꝯſtan
tiam. ⁊ in medio dando ꝑſeuerantiã. ⁊ in
fine dãdo glorioſam coronam. Tercio ha
bet lucem eclipſatã ⁊ obſcuratam. Scdm̃
aũt beatũ Aug. luna tripliciter obſcurat᷑.
Aut quando nubibꝫ tegit᷑. aut qñ eclip-
ſatur. aut quãdo renouat᷑. ſic etiam virgo
benedicta fuit obſcurata ꝑ ſui humilitatē
ꝑ quam ſe obumbrabat ⁊ obſcurabat. de
hoc habet᷑ Cañ. j. Nolite me ꝯſiderare ꝙ
fuſca ſim qꝛ decolorauit me ſol. Ac ſi di-
cat. quanto magis ſol me illuminauit per
ſuam maieſtatem. tanto magis exterius
me decolorauit ꝑ humilitatem. Secũdo
fuit decolorata ꝓpter nimij doloris acerbi
tatem ⁊ hoc in filij paſſione. vbi cum ſole
id eſt cum filio ſuo chriſto iheſu paſſa eſt
eclipſim. Iohelis. ij. Sol. i. chriſtus con
uertet᷑ in tenebras ꝑ mortem. ⁊ luna id ē
virgo beata maria ꝯuertet᷑ in ſanguinē ꝑ
dolorem. Non enim tunc tm̃ vnã morteꝫ
ſed tres quodãmodo paſſa eſt. Ezechiel.
xxi. Duplicet᷑ gladiꝰ ac triplicet᷑. Vna
enim mors ſeu triſticia quam ipſa virgo
maria paſſa fuit ⁊ patiebat᷑ fuit ſeparatio
matris a filio ⁊ iſta fuit mors amara. alia
fuit ſeparatio anime chriſti a ſuo corꝑe. ⁊
iſta mors ſeu triſticia fuit virgini benedic
te multum amarioꝛ. Tercia mors fuit in
matre ſcilꝫ ſeparatio anime chriſti a ſpiritu
ſuo Anima namqꝫ chriſti Marie corpus
ſuum viuificabat. Spũs vero ſuus cum
ſpiritu chriſti vnitus fuit. Magis enim
erat ſpũs beate marie cum ſuo filio bene-
dicto ꝙ̃ in ſuo corꝑe ꝓprio. Quãdo ergo
chriſtus emiſit ſpiritum ſuum. ipſa dolo-
rem intentiſſimuꝫ patiebat᷑. ⁊ iſta triſticia
in virgine glorioſa fuit mors amariſſima
qꝛ tunc doloris gladius ipſius animam
ꝑtrãſiuit Tercio virgo benedicta fuit ob-
ſcurata ꝑ mortem ſuam corꝑalem. Tunc
enim facta eſt obſcura quando ab ipſius
corꝑe anima receſſit vt ſic obſcuraret᷑ in
morte ⁊ fieret nouilumiũ in reſurrectione
Damaſ. Sicut ſol iſte ſplendidus ac lu
cifluus ſub lunari corꝑe latens ad breue
videt᷑ deficere cum ſuo non priuet᷑ lumīe
habens in ſe ꝑhenneꝫ luminis fontem. ſic
⁊ tu fons veri luminis inconſumptꝰ vite
theſaurus licet breui interuallo temporis
corꝑaliter morti ſis addicta tamẽ copioſe
nobis infundis indeficiētis luminis cla
ritatem. Tercio angeli admirantur. eam
quo ad dei filij conceptum. cum ſubiun-
gunt. Electa vt ſol. Scdm̃ autem Aug.
in ſole tria videmus ſcilꝫ quod eſt. qd̓ lu
cet ⁊ quod calet Ipſa fuit electa ſicut ſol
quia habuit electum eſſe. Nam pater ele
git corpus ipſum ſanctificando. preelegit
animã ipſam virtutibus adimplendo. et
vtrũqꝫ elegit ⁊ preelegit habitare in taber
naculo ſuo faciendo Pſalm̃. Elegit eam
deus ⁊ preelegit eam. Filius dedit ſibi ele
ctam lucem. id eſt diuinorum cognitionē
Apocal. viceſimoprimo. Ciuitas nõ eget
ſole aut luna ⁊ cetera. Iſta namqꝫ eſt ciui
tas. de qua dicitur in Pſal. Glorioſa di
cta ſunt de te ciuitas dei. Iſta ciuitas nõ
indiget illuminatiõe angelica. ideo dicit᷑
ꝙ non indiget ſole. nec illuminatione hu
mana. ideo dicit᷑ ꝙ non indiget luna. ſed

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

illuminatur luce diuinitatis·ideo dicitur
Et claritas dei illuminabit illam Et luce
humanitatis. Ideo ſubditur. Et lucerna
eius eſt agnus. Spiritusſanctus dedit ſi
bi calorem id eſt ordinatũ amorẽ. Scd̃m
aũt auguſtinũ quadruplex eſt gradus a-
moris. Primo namqꝫ debemus diligere
qd̓ ſupra nos eſt ſcꝫ deum. Deinde qd̓ ſu
mus. id eſt noſipſos. deinde qd̓ iuxta nos
eſt ſcꝫ proximum. deinde qd̓ infra nos eſt ſcꝫ
mundũ ⁊ totum genus humanũ. Uirgo
ergo beata ordinatam habuit caritatem.
Nam quod ſupra ſe erat ſcꝫ deum ama-
uit reuerenter. quod iuxta ſe erat. ſcilicet
filium dilexit dulciter. quod ipſa erat ſcili
cet ſe dilexit ſapienter. qd̓ infra ſe erat ſcꝫ
genus humanum dilexit miſericorditer.
¶ Quarto mirantur eam q̃tum ad eius
aſcenſum glorioſum cum ſubdũt. terribi-
lis vt caſtrorũ acies ordinata. Sciebant
enim angeli ſpiritum humanum corpori
terreno incluſum ab ipſis minoratũ. Un
de pſ. Minuiſti eum paulominus ab an
gelis ⁊c. Et de hoc non mirabanť. q2 cor-
pus quod corrumpitur animã aggrauat.
Sed tamen adequationem tempore gra
tie ſunt experti. quia homines per virgina
lem mundiciam adequantur angelis. de
hoc etiam non mirabantur eo ꝙ homo fa
ctus eſt ad dei ymaginem ⁊ dei faciem cõ
templandam. Minorationem igitur no-
uerat nec de hoc admirationem ↄceperant
ſublimationem autem credere non vale-
bant. ⁊ ideo videntes humanam naturaꝫ
in duabus perſonis ſcilicet chriſti et ma-
tris ſuper angelos ſublimari in admiratõ
nem ſunt commoti dicentes de chriſto il-
lud quod legitur Iſaye. lx. Quis eſt iſte
qui venit de edom ⁊c. Et de virgine Que
eſt iſta que progreditur quaſi aurora con-
ſurgens ⁊c.

¶ De eodem Sermo. v.

Que eſt iſta que aſcendit de deſer-
to delicijs affluens innixa ſuper
dilectum ſuum. Canticoꝝ vltĩo.
Si aliquis ruſticus vel inexpertus lapi-
dem precioſum laudaret modica laus eẽt
ſed ſi gemmarius doctiſſimus aliqueꝫ la
pidem precioſum miraretur ⁊ laudaret in
gens laus eſſet. Si igitur nos groſſi ⁊ in
experti virgineꝫ laudamus parua laus vi
detur. Maxima autem laus eſt qñ ſpũs
celeſtes laudant tantam virginis maieſta
¶ tem. Ponũt ergo angeli in premiſſis ver
bis duo. Primo ſuam admirationẽ cum
dicunt. Que eſt iſta que aſcendit ⁊c. Ad
iſtam autem admirationẽ reſpondet Au-
guſtinus. Iſta ẽ mater dei. regina celi. do
mina mundi. porta paradiſi. In hoc autẽ
quod dicitur mater dei tria notantur. U-
num eſt ꝙ ipſa ſuper chriſtum habuit ma
terne autoritatis imperium Luce. ij. Erat
ſubditus illis. Secundo q2 debuit ſubli-
mari ad filiũ. Damaſcenus. Decuit ma
trem ad filium ſublimari vt ad ipſum aſ
cendat ſicut ad ipſam deſcenderat. Terci
um quia habet ad nos materne compaſſi
onis affectum. Unde frequenter ei dice-
re debemus. Monſtra te eſſe matrem ⁊c.
¶ Secundo eſt regina celi. Iheremie. xliiij.
Sacrificemus regine celi ⁊ libemus ei li
bamina. ⁊ faciamus placentas ſicut feci
mus nos ⁊ patres noſtri. ⁊ ſaturati ſum9
panibus ⁊ bene nobis erat. malumqꝫ non
vidimus. Ex eo aũt quo ceſſauimus ſa-
crificare ei indigemus omnibus ⁊ fame ⁊
gladio ↄſumpti ſumus. Sicut aũt dicit
in ſcolaſticis hyſtorijs triplex erat diſtin-
ctio eoꝝ que deo offerebanť. Aut eñ erat
oblatio de animalibꝫ ⁊ dicebať ſacrificiũ.
aut erat de ſicca materia. vt de ſimila pa-
ne vel ſimilibus. ⁊ tunc dicebatur oblatõ
que erat de liquidis. ſcilicet vino vel oleo
⁊ dicebatur libatio. Iſta autem triplex di
ſtinctio tangitur hic. Primo ſacrificium
cum dicitur. ſacrificemus Libatio cũ ſub

dicit̃. Et libemus ei libamina. oblatio. cuꝫ
ſubdit̃. Et faciamus ei placentas. Nos
autem debemus regine celi ſacrificare cor-
pora noſtra p̱ mortificatõnem viciorum.
libare corda liquida p̱ compaſſionem la-
crimaꝝ. ⁊ exhibere placẽtas .i. ꝯſciencias
placidas p̱ interiorem noſtrã purificatiõꝫ.
¶ Tercio eſt domina mundi. ideo ad ipſam
tanq̃ȝ ad dñaꝫ ⁊ auguſtam omiſſis aliȷ̈s
intermediȷ̈s appellare licebit. ſiue q̇s gra-
uetur a diabolo ſiue a tyrãno ſiue a carne
ſiue a dei iuſticia. Licet enim ad ipſaꝫ ap-
pellare ſi quis grauat̃ a diabolo ſicut pꝫ
in theophilo qui cum ſeruũ ſe diaboli fe-
ciſſet tandem appellauit ad auguſtã ⁊ ipſa
totuꝫ irritũ fecit. ⁊ ad priſtinũ ſtatũ gratie
reſtituit eũ. Licet etiã ad ipſam appellare
ſi quis grauet̃ a tyrãno. hoc ſignificat̃ in
Heſter vbi tyrãnus aman. populum dei
voluit occidere. ſed regina heſter. i. virgo
benedicta ipſius tyrãni malicie obuiauit
ac ſententiam reuocauit ⁊ populũ ad pri-
ſtinũ ſtatum reſtituit. Licet etiã appellare
ad ipſam ſi quis grauet̃ a carne. ſicut pa
tuit in maria egypciaca que multo tp̱e li-
bidini deſeruiuit. ſed ad ipſam virginem
ꝯfugit. ⁊ appellauit ⁊ ſic carnis libidinẽ ⁊
ꝯcupiſcentiã ſup̱auit. Licet etiã ad ipſaꝫ
appellare ſi quis ſe a dĩ iuſticia ſentiat ag-
grauari. Vnd̃ legit̃ in vita beati dominici
ꝙ cum chriſtus ꝯtra mundũ durã ſenten-
tiam ꝓferre vellet. occurrit mater chriſti
glorioſa ⁊ dixit. bone fili nõ ſcd̃m eorum
maliciam ſed ſcd̃m tuam miſcd̃iaꝫ agere
debes ¶ Quarto eſt porta paradiſi. q2 per
ipſam tanq̃ȝ p̱ portam ad nos deus venit
Ezechielis quadrageſimoquarto capitu-
lo. Porta hec clauſa erit ⁊ nõ aperiet̃ ⁊c. et
p̱ ipſam virginẽ benedictã mariã quilibꝫ
tanq̃ȝ p̱ portam in celum aſcendit. Vnde
de ipſa cãtat eccleſia. Tu regis alti ianua
tu porta lucis fulgida ⁊c. Et p̱ ipſaꝫ tãq̃ȝ
p̱ feneſtram deus ad nos oculo miſericor-
die ſue reſpicit. Canti. ij. En ipſe ſtat poſt
parietem ⁊c. Stat ei poſt parietẽ noſtꝝ. i.
poſt humanã naturaꝫ noſtrã. reſpicit nos
p̱ feneſtram. i. p̱ matrem ſuaꝫ. ⁊ p̱ cancel-
los. i. p̱ vulnera ſua. ¶ Scd̃o angeli ponũt
ſue admiratõis rationẽ cum dicũt. Que
aſcendit de deſerto vbi ponit̃ ratio admi-
rationis. ⁊ q2 de deſerto aſcendit ⁊ q2 de-
licȷ̈s affluens aſcendit. ⁊ q2 innixa ſuper
dilectum aſcendit. Admirant̃ nanq̃ȝ ipſi
angeli ſiue celeſtes ſpũs angelici ꝙ aſcẽ-
dit de deſerto. id ẽ d̃ mundo tantis vicȷ̈s
pleno. de quo quidem mũdo deus ipſam
virginem benedictam innocenter deduxit
⁊ eduxit. Deutero. viij. Ductor fuit dñs
deus tuus in ſolitudine in q̃ erat ſerpens
flatu adurens ⁊ ſcorpio atq̃ȝ dipſas. Eſt
autem dipſas ſcd̃m Iſidoꝝ quoddã ge-
nus ſerpentis qui latine dicit̃ ſitula p̱ cõ-
trarium quia cum talis ſerpens aliquem
momorderit ſiti perire facit. In hoc ergo
deſerto mundi eſt ſerpens adurens. id eſt
diabolus mentes hominum ad appetitũ
ambitionum incendens. ⁊ ſcorpio. i. car-
nalis delectatio que prius blanditur ſed
poſtea pungit. Eſt ibi dipſas. id eſt auari-
cia que ſemper ſitim facit. ¶ Secundo mi-
rantur ꝙ aſcendebat cum affluentia deli-
ciarum de deſerto vbi eſt penuria conſola-
tionum. Sunt autem delicie generales.
ſpeciales ⁊ ſingulares. Generales delicie
beatorum ſunt de quibus dicit Auguſti-
nus de ciuitate dĩ. Ciuitas ſuperna videt
⁊ amat ⁊ in eternitate dei viget. ⁊ in veri-
tate dei lucet. in bonitate dei gaudet. Et
iſte diuitie generales nobilius ſunt in vir-
gine Sapientie. tercio capitu. O q̃ȝ pul-
chra eſt caſta generatio cum claritate. im-
mortalis enim ẽ memoria illius. In hoc
ꝙ dicitur caſta generatio notatur ꝙ iocũ-
dius gaudet de eo ꝙ ſcilicet caſta p̱man-
ſit ⁊ tamen genuit. in hoc ꝙ dicitur cum
claritate notatur ꝙ clarius luceꝫ. in hoc ꝙ
dicitur Immortalis eſt enim memoria il-
lius. notat̃ ꝙ nobilius viget. Sunt aũt

delicie ſpeciales que ſpecialiter virginibꝰ debent. ſcꝫ aureola in capite. alba veſtis in corpe. canticū ineffabile in ore. ⁊ familiaritas in aſſociatōe. q2 ſicut habetur Apoca. xiiij. hij ſequunt agnū quocunqꝫ ierit. Hec aūt delicie ſpeciales abūdantius in virgine ſunt Apocal. xij. Mulier amicta ſole ⁊ luna ſub pedibꝰ eius. ⁊ in capite eiꝰ corona. xij. ſtellaꝝ. in vtero habēs ⁊c. Alie aūt virgines hn̄t coronā aureolā. hec aūt coronam. xij. ſtellaꝝ ornatā. Alie decorantur veſte alba. hec vero ſole eſt amicta Ille ſequunt agnū pedibꝰ ſuis. hec autē habet lunā. i. eccleſiā militantē ac triumphantē ſub pedibꝰ ſuis. Alie cantant ꝓ ꝯſeruata virginitate. hec ꝓ virginitate ⁊ fecūditate. ideo dr̄. in vtero hn̄s. Tercio ſunt delicie ſingulares de quibꝰ dicit bern̄. ſic. Quid in delicias dixerim virginitatis decus cū munere fecunditatis. humilitatis inſigne diſtillantē caritatis fauū mīe viſcera plenitudinē gratie. prerogatiuā glorie ſingularis. Propter tres primas virtutes dicitur Cantic. j. Cū eſſet rex in accubitu ſuo nardus mea dedit odorem ſuum. Iſte rex habet triplicē accubitum. ſ. ſinum patris. vteꝝ matris. ⁊ patibulū crucis. Nardus eſt herba pua ⁊ odorifera ⁊ calida. per hoc ꝙ eſt pua notat̄ humilitas. per hoc ꝙ eſt odorifera notat̄ virginitas. per hoc ꝙ ē calida notat̄ caritas. Cum igit̄ iſte rex eſſet in ſinu patris dedit odorem marie humilitas ⁊ ipſum mox deſcendere fecit. Dum eſſet in vtero matris odorem dedit ſua virginitas que ipſum in vtero pauit. Dum autem eſſet in patibulo crucis odorem dedit ſua caritas per quam xp̄us matrem amoris immemor eſſe nō potuit. ſed ipſam iohanni recommendauit. Et ꝓpter alias tres ſequentes dr̄ Canti. iij. Que eſt iſta que aſcendit de deſerto ſicut virgula fumi ⁊c. Fuit enim virgula. i. flexibilis ad pietatem. ⁊ ex aromatibꝰ. q2 fuit plena odoribus omniū gratiaꝝ. vniuerſi pulueris pigmentarij. quia omnes glorias quas alij ſancti habent particulariter. ipſa habet vniuerſaliter. ¶ Tercio mirabant̄ ꝙ ipſa innixa erat ſuper dilectum ſuum. In hoc autem ꝙ innixa dicitur quatuor prerogatiue notantur. ſcꝫ eius magna ſecuritas. Secura namqꝫ erat ꝙ cadere nō poterat que ſuper deum innixa fuerat. Secunda magna dignitas. Innixa enim erat ei cuius aſpectum tremūt angelice poteſtates Tercia magna familiaritas. Signuꝫ eñ magne familiaritatis fuit in Johanne q2 in ſinu xp̄i recubuit. tanto dulcius quanto familiarius. tanto ſecretius quāto ſublimius. Quarta magna poteſtas. Nam qui alicui rei innitit̄ virtutem eius quodammodo ſibi aſſumit. ⁊ ea ſicut vult vtitur. Sic mater dei omnipotentiam filij quando vult aſſumit. Bernardus. Quomodo miſereri non poterit mater omnipotentis.

## ¶ Eodem die. Sermo. vj.

Quaſi cedrus exaltata ſuꝫ in libano ⁊ quaſi cypreſſus in monte ſyon. ⁊ quaſi palma exaltata ſum in cbades. ⁊ quaſi plātatio roſe in iherico Quaſi oliua ſpecioſa in campis. ⁊ quaſi platanus exaltata ſum iuxta aquā in plateis Ecci. xxiiij. Ecce ſex poſuit differentias arboꝝ. q2 in celeſti patria ſex ſunt ordines beatoꝝ. ſcꝫ virgines. ꝯfeſſores. martires ⁊ apoſtoli. ꝓphete ⁊ patriarche Quos ſiquidem omnes ⁊ ſingulos virgo maria in ſua aſſumptione viſitauit. ⁊ viſitando percurrit. ⁊ percurrendo tranſcendit. Libet tamen dyalogum facere inter virginem aſcendentem ⁊ ipſos ſanctorum ordines eam totis affectibus retinere cupientes. ¶ Occurrit quidem ab inferiori ordo virginum dicens ei. Mane nobiſcum domina in eternuꝫ. Tu es eñ domina noſtra. abbatiſſa noſtra. ordinem noſtrum inſtituiſti. ordinaſti ⁊ tenuiſti. Te decet ſtare velut

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

magiſtram cum diſcipulis. dominam cū
ancillis abbatiſſam cū famulis. Ipſa au
tē beata virgo tria priuilegia habuit. vnū
in carne ſcilꝫ virginitatem. aliud in mente
ſcilicꝫ puritatem. tercium in conuerſatiōe
ſcꝫ fame celebritatem. Sapientie. iiij. ca.
O q̈ꝫ pulchra ecce puritas mentis. caſta
generatio. ecce caſtitas virginalis. cū cla
ritate. ecce celebritas conuerſatōnis. Sa
cre autem virgines in his tribus quantū
poſſibile fuit ſe ſibi aſſimulauerūt. Sicut
autem habetur Eccle. decimotercio. Si-
militudo inducit dilectōnem. cōiunctōnē
⁊ aſſociatōnem. Aſſociatio autem ē ami-
corum. coniunctio ꝓpinquorum. dilectio
filioꝝ. Dicunt ergo virgines beate v̾gini
marie Nos in q̈ꝫtum nobis poſſibile fuit
nos ſimiles tibi fecimus ī carne. in mēte
⁊ in conuerſatione. Et quia ſimilitudo in
ducit dilectōnem. coniunctōnem ⁊ aſſoci
ationem facte ſumus amice tue. proxime
tue ⁊ filie tue. ⁊ ideo debes te aſſociare no
bis vt proximis tuis ⁊ ſpecialem dilecti-
onem exhibere vt filiabus tuis. Reſpon-
dit virgo maria Non vos filie deſero ſed
quaſi cedrus exaltata ſum ī libano. Sūt
autem multa genera cedrorum. ſcꝫ cedri
que naſcuntur in libano. quarum odor fu
gat ſerpentes ⁊ interficit vermes. Liban⁹
autem candidatio intelligitur. Alie ſunt
cedri maritime que habent poma haben-
tia triplicem ſubſtantiam. Prima eſt ca-
lida. media temperata ⁊ vltima ē frigida
Et ſignificat chriſtum in quo fuit diuini-
tas que eſt multum calida. id eſt omniuꝫ
cordium inflammatiua. In quo fuit ani-
ma tēperata quia omnes virtutes in ipā
medium tenuerunt. ⁊ in nullo vnq̈ꝫ ad a-
liquod declinauit extremuꝫ. In quo erat
caro frigida. id eſt ab omni concupiſcēntia
aliena. Dicit ergo beata maria virginib⁹
ſacris. Non vos deſero filie ſed tanq̈ꝫ o-
dor cedri vobiſcum maneo. per quem odo
rem ⁊ demones a vobis fugaui ⁊ ſepe ma

las cogitationes in vobis extinxi. ⁊ vr̄as
animas dealbaui. Vobiſcum etiam rema
net odor filij mei. qui per ardorem carita-
tis vos inflammauit. Et ꝑ temperamen-
tum ſue virtutis vos caſtificauit. ⁊ ꝑ mū
diciā ſue carnis vos regenerauit. ⁊ in mū
dicia conſeruauit. Sequitur ordo confeſ
ſorum qui confeſſi ſunt deum corde. ore ⁊
opere. ⁊ virgo benedicta ipſum confeſſa ē
corde credendo. Luc. primo capitulo. Be
ata que credidiſti ⁊ cetera. Ore. gloriam
dei predicando Ibidem. Quia fecit mihi
magna. Opere. dei mandata adimplēdo
Eſt etiam virgo benedicta coram deo cō-
feſſa ſuam humilitatē. quādo dixit Ecce
ancilla domini fiat mihi ſcd̄m verbū tuū.
Coram angelo. ſuam caſtitatem quando
dixit Quoniam virum nō cognoſco. Co
ram toto mundo ſuam maieſtatē. quādo
dixit. Ecce enim ex hoc beatam me dicent
⁊ cetera. Dicunt igitur ſancti confeſſores
Utinam placeret domine cuꝫ ſuis ſeruis
habitare que deum ore. corde ⁊ opere con
feſſa fuiſti. que coram deo angelo ⁊ mun-
do chriſti gloriam predicaſti. Reſpondit
illa ⁊ dicit. Non vos filij cariſſimi deſero
ſed vobiſcum quaſi cypreſſus ī monte ſy
on remaneo. Cypreſſus tota eſt medici-
nalis ſcilicet cortice. folijs ⁊ fructib⁹. Et
quicquid erat in virgine totum medicina
le fuit. ſcilicet cortex. id eſt exterior cōuer-
ſatio ſua. folia ſua. id ē verba ſua ſuauia
⁊ fructus. id eſt opera ſua fructuoſa. Fuit
q̈ꝫ plantata in monte ſyon id ē in ſanctis
confeſſoribus. qui deum ꝑ veram fidem
ſpeculati ſunt. Dicat ergo virgo beata A
vobis filij nō recedo ſed tanq̈ꝫ odor cipſſi
vobiſcū maneo. q̄r ex odore mee ꝯuerſati
onis ſepe recepiſtis ꝯſolatōēꝫ. ⁊ ex odore
verborum meoꝝ inſtructōnem ⁊ ex odore
fructus. id eſt filij mei ſaluatiōꝫ. Sequit̄
ordo martyꝝ. In quib⁹ tria miranda fue
runt. ſcilicꝫ dolor intolerabilis conſtantia
laudabilis ⁊ caritas īextinguibilis. Iſta

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

tia laudabilius fuerũt in virgine maria. Nam in filij paſſione in ea fuit dolor intolerabilis. Luce. ij. Tuam ipſius animam ptranſibit gladius. Qñ enim corpus criſti lancea pertranſiuit anima xp̄i in chriſto non erat. anima vero matris in ipſo erat. ⁊ ideo illa lancea animã eius pertranſiuit Fuit etiã in ipſa cõſtantia laudabilis. qꝛ ceteris fugientibus ipſa nõ fugit. ceteris pauentibꝰ ipſa non pauit. ceteris fidem perdentibꝰ ipſa fidem ſeruauit. Fuit etiã in ea inextinguibilis caritas. Tum qꝛ habebat ignem perpetuũ. i. filium dei qui corpus eius impleuerat ⁊ mentẽ eius inflãmauerat ⁊ ex ea corpus humanũ ſumpſerat. Tum qꝛ pabulũ ꝯtinuum habebat. i. bona opera que faciebat Tum quia habebat ſufflatoriũ aſſiduum. i. ſp̄m ſanctum qui ſemꝑ amorem accendebat. Dicãt ergo ſancti martires. Nobiſcum domina debes ſtare que martir ⁊ plus q̃ꝫ martir fuiſti. quam lancea tanti doloris perforauit. tanta ꝯſtantia armauit. tanta caritas inflãmauit. Rñdit illa Non vos filij deſero ſed quaſi palma exaltata in chades vobiſcũ maneo. Per palmã namq̃ꝫ victoria intelligit̃. per chades vero que interpretat̃ ſancta martires ſignificant̃ qui fuerũt ſancti. i. ſanguine tincti. In virgine autẽ erat ⁊ victoria amoris ad amorẽ. ⁊ doloris ad dolorẽ. Erat ſiquidẽ in ipſa amor filij immenſus. In xp̄o aũt erat caro ⁊ aĩa ac deitas. Erat igitur inter matrem ⁊ filium triplex ꝯiunctio. ſcꝫ carnis ad carnem ſcd̄m naturam. anime ad animã ſcd̄m amiciciã ſp̄us ad deitatem ſm grãm. Amabat quidem xp̄m amore nature vt mater filium. amore amicicie vt amica dilectuꝫ. amore gratie vt creatura ſuum creatorẽ. ecce q̃ſitus amor in ea fuit. Sed videamus nũc quantum dolorẽ habebat. Diſſecabat̃ nã q̃ꝫ caro virginis dum ſic videbat carnem chriſti laniari. Et diſſecabat̃ eius anima videns chriſti animã tam grauiter ꝯtriſtari. Diſſecabat̃ ⁊ ſpiritus eius dum videbat chriſti deitatem tam ignominioſe tractari ac enormiter vilipendi. Nihilominꝰ erat in ea magnus amor filioꝝ id eſt iudeoꝝ. ⁊ magnus ymmo exceſſiuus dolor de perditione ipſoꝝ. Dicat ergo virgo beata Non vos deſero ſed in chades. i. inter vos qui eſtis chriſti ſanguine tincti quaſi palma maneo. qꝛ inter vos manet odor victorie mee. ex eo ꝙ amor quo vos diligebam vicit amorem filij quo ipſius vitã corporalem amabã. Dolor quem habebã de veſtra perditione vicit dolorem quem habui de filij paſſione ¶ Sequitur cõſequenter ordo apoſtoloꝝ qui licet tunc nõ eſſent in gloria. tamen ſi fuiſſent dicere potuiſſent. De ipſis etiã quatuor magnalia predicantur. ſcilicet ꝙ ſunt ſal terre. lux mundi lucerna accenſa. ⁊ ciuitas ſupra montem poſita Iſta autem de virgine excellentius predicãtur. Ipſa enim tanq̃ꝫ lucerna ardens ad dei amorem multos inflammauit. Tanq̃ꝫ ſal terre a putredine preſeruauit. ⁊ tanq̃m lux mundi ad dei cognitioneꝫ illuminauit. Tanq̃ꝫ ciuitas ſupra mõtem poſita omnibus ſuam miſericordiaꝫ exhibuit. Dicant igitur apoſtoli. Tu es apoſtolorum apoſtola. in apoſtoloruꝫ collegio morari debes que tanq̃ꝫ lucerna ardens mundum frigidum inflãmaſti. tanq̃ꝫ ſal terre mundum inſipidum condiuiſti. tanq̃ꝫ lux mundi tenebroſum munduꝫ illuminaſti. tanq̃ꝫ ciuitas ſupra montem poſita viſcera tue miſericordie omnibus aperuiſti Reſpondit illa ⁊ dicit. Non vos deſero. ſed tanq̃ꝫ plantatio roſe in Iherico vobiſcum permaneo. Iherico interpretatur luna. ⁊ ſignificat eccleſiã. id eſt apoſtoloꝝ congregationem qui eccleſiã plãtauerunt. Quilibet apoſtolus fuit vna roſa per aliquã ſpecialem grãm qua redoluit. Ipſa autem fuit plãtatio roſe in Iherico. qꝛ in ipſa fuerunt omnes gratie ſingulares. Dicat ergo. Quaſi plantatio roſe

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

vobiſcum maneo. vos eñ eſtis roſe corã
deo redolẽtes. ego ꝟo ſum plantatio roſe
que inter vos ꝑ gratias quas habetis fa
miliariter maneo. Naꝫ maneo cum petro
ꝑ deitatis ⁊ humanitatis cognitioneꝫ. cũ
paulo ꝑ altam ꝯtemplationem. cum an-
drea ꝑ precordialem ad crucem deuotio-
nem. cum iacobo ꝑ vicioꝝ ſupplantatõꝫ.
cum iohanne ꝑ virginitatis ꝯſeruatõnẽ.
cum thoma ꝑ fortium opeꝝ aggreſſionẽ.
quando ſcꝫ dixit Iohã. xi. Eamus ⁊ nos
moriamur cum eo. cum iacobo alphei. ꝑ
meam in vtero ſanctificatõnem. cum phi
lippo ꝑ ſpecialem cum filio meo familiari
tatem. cum bartholomeo ꝑ feruẽtem ora
tionem. vnde dixerunt demones ei. incen
dunt nos orationes tue. cum matheo per
terrenorum deſpectionem. cum ſymone ꝑ
mandatoꝝ dei ꝓmptam executionem. et
cum thadeo ꝑ mentis mundiciam ⁊ pu-
rificationeꝫ. Nam in hiſtoria eccleſiaſtica
vocaꝰ corculus. i. cordis cultor. Sequiꝰ
¶ ordo ꝓphetaꝝ qui quidẽ mõ ꝓphetabant
de preteritis. modo de futuris ⁊ modo de
preſentibꝰ occultis. Virgo autem glorio
ſa maria ꝓphetabat de preterito qñ dixit.
Suſcepit yſrahel pueꝝ ſuum ⁊c. Et de fu
turo cum dixit. Ecce enim ex hoc beatam.
⁊ de preſenti occulto quando iohannẽ in
vtero ſue matris eſſe cognouit. Dicãt er
go ꝓphete. Recte debes domina in ꝓphe-
taꝝ numero copulari que ꝓphetie ſpirituꝫ
ad preterita ⁊ futura ⁊ occulta p̃ſentia ſuſ
cepiſti. Reſpondet illa ⁊ dicit. Non vos
deſero ſed quaſi platanus vobiſcum ma-
neo. Eſt auteꝫ platanus arbor habens fo
lia lata plantata in plateis vt ibi vmbrã
faciat. Et ſignificat eiuſ verba que fuerũt
refrigeratiua. ⁊ ꝑ totum mundum lata et
diffuſa. Quatuor eñ vicibus virgo glo
rioſa locuta fuiſſe legiꝰ. ſ. cum angelo. cũ
elizabeth. ⁊ cum filio in templo. ⁊ cũ filio
in nuptijs. Ipſa enim loquente cum an-
gelo Deus factus eſt homo verus Ipſa
loquente cum elizabeth repletus ẽ ſpiritu
ſancto in vtero iohãnes. Ipſa loquente
cum filio in templo. deus factus eſt homi
nibꝰ ſubditus. Ipſa loquente cum eo in
nuptijs. manifeſtauit ſuã gloriã chriſtus
iheſus Dicat ergo virgo glorioſa. Non
recedo a vobis. ſed odor verboꝝ meorum
manet in vobis. quoꝝ virtute ⁊ deus ſuſ
cepit humanam naturam ⁊ puer in vtero
ſuſcepit gratiã. ⁊ deus hominibꝰ exhibu-
it obedientiã ⁊ ſuam manifeſtauit gloriã.
¶ Sequiꝰ ordo patriarcharũ qui allegant
dicentes Tu es filia noſtra. tu es caro et
os noſtrũ. tu fuiſti baculus ſenectutis ⁊
debilitatis nr̃e. ergo tanq̃ filia debes pa-
tres tuos tua preſentia honorare tanq̃ ca
ro noſtra debes tua preſentia ꝯfouere tãq̃
virga noſtra debes tua preſentia nobis cõ
ſolationem impendere. atteſtante ꝓpheta
qui ſic inquit Virga tua ⁊ baculus tuus
⁊c. Reſpõdet illa ⁊ dicit. Nõ vos deſero
ſed quaſi oliua ſpecioſa in cãpis vobiſcũ
maneo Sancti nãq̃ patres opibꝰ miſe-
ricordie intenti fuerũt. virgo auteꝫ maria
habuit miſericordiam quaſi naturalẽ. iõ
dr̃ quaſi oliua. ſolus eñ deus ẽ ipſa oliua
⁊ ipſa miſericordia. Ceteri ſancti habent
oleũ. i. ꝯpaſſionis affectũ. virgo aũt glo-
rioſa ẽ quaſi oliua qꝛ miſereri ẽ ſibi quaſi
verſuꝫ in naturã. Habet etiã quaſi totalẽ
miſcd̃iam. iõ dr̃ quaſi oliua ſpecioſa Illa
eñ oliua eſt ſpecioſa que eſt pulcra in ra-
mis. in folijs. ⁊ i fructu. Sic ⁊ ipſa habꝫ
miſcd̃iam. ⁊ in cord̃ exhibendo ꝯpaſſiõis
affectũ. ⁊ in ore ꝓ nobis aduocãdo apud
deũ. ⁊ i ope ꝯferendo miſeratõis auxiliũ
Habet etiã miſcd̃iam vniuerſalem. Sũt
quidã ſancti qui hñt miſcd̃iam ſpãlẽ. qꝛ
ſubueniũt quibuſdã ⁊ quibuſdã nõ. ſunt
quidã ſancti qui hñt miſcd̃iam ꝑticularẽ
qꝛ ſuꝑ quibuſdã infirmitatibꝰ hñt virtu
tem curandi. Sunt qui habent miſcd̃iaꝫ
localem. qꝛ maiora beneficia p̃ſtãt i locis
ſepulture. ſunt qui habent miſcd̃iaꝫ tꝑalẽ

quia in aliquibꝰ tempoꝛibꝰ magis ſubue
niunt ❡ Mia autem virginis eſt ſicut oliua
in campis. qꝛ eius mīa eſt omnibꝰ perſo-
nis. infirmitatibꝰ. ⁊ omnibꝰ locis. ⁊ om-
nibꝰ tꝑibus. Dicat ergo. Nō vos deſero.
ſed vobiſcū maneo ꝑ mīam quā habeo ſic
naturalē. ſic totalem. ⁊ ſic vniuerſalem

❡ De eodem Sermo. vij.

Sicut cynamomū ⁊ balſamū aro
matizans odoꝛē dedi quaſi mir-
ra electa dedi ſuauitatē odoꝛis.
⁊ quaſi ſtoꝛax ⁊ galbanus ⁊ virgula ⁊ gut
ta. ⁊ quaſi libanus non inciſus vapoꝛaui
bitationem meam. ⁊ quaſi balſamū non
mixtū odoꝛ meus. Eccl. xxiiij. Ecce nouē
poſuit ſpēs aromatum. qꝛ vtiꝫ nouem ſunt
ordines angeloꝝ quos vgo maria in ſua
aſſumptōne viſitauit. viſitando ꝑcurrit. ⁊
ꝑcurrendo tranſcendit. Libet aūt aliū dya
logum facere inter ipſam virginē aſcendē
tem ⁊ ipſos ordines angeloꝝ eā retinere
toris affectibꝰ cupientes ❡ Primo igitur
viſitat ordines inferioris ierarchie. ſcꝫ an
gelos. archangelos. ⁊ virtutes. Angelo-
rum enim officiū eſt nunciare ⁊ miniſtra-
re ac cuſtodire. Sic ipſa gratiā humano
generi deperditā nunciauit ⁊ inuenit ſicut
dictū eſt Inueniſti grām apud deum. In
eccīa miniſtra dei ordinata fuit Eccl. xxiiij
In habitatōe ſancta coꝛam ipō miniſtra
ui. Animas noſtras ſemper cuſtodit. Hec
enim eſt illa gallina de qua dicit̄ Math.
xxiij. que pullos ſuos cuſtodit ſub alis
ſue pietatis ab inſidijs demonū. Dicant
igit̄ angeli virgini beate. Intra noſtꝝ nu-
merꝝ o domina debes habere ꝯſoꝛtium que
ſimile nobis ſoꝛtita es officium dū ⁊ mū
do leticiam annūcias. dum diuinas gra-
tias amminiſtras. dū animas omniū cu-
ſtodire non ceſſas. Reſpōdet illa ⁊ dicit
Nō vos deſero ſed ſicut cynamomū inter
vos maneo. Iſta ſpēs eſt ſicca. calida. ⁊ a
romatica. Sic ⁊ ipſa fuit ſicca in carne ꝑ
temperantiā ⁊ parcitatem. calida in aīa ꝑ
feruoꝛem ⁊ caritatem. aromatizans in v-
troqꝫ ꝑ mundiciā ⁊ puritatē. Dicat ergo
Non vos deſero. ſed vobiſcū manet odoꝛ
temꝑantie mee. ⁊ vobiſcū manet odoꝛ ca-
ritatis mee. ⁊ aroma pietatis mee ❡ Se-
quit̄ oꝛdo archangeloꝝ quoꝝ officium ē
ſecreta dei ꝯſilia ſcire. ⁊ maxime miſteriuꝫ
de incarnatiōe verbi cognoſcere. Iſtud nā
qꝫ miſteriū ſuperioꝛes angeli cognouerūt
a deo immediate per infuſam inſpiratōeꝫ.
Medij ab ipſis ſuperioꝛibꝰ per traditam
illuminatōem. Inferioꝛes angeli a medi
is cognouerunt per predicatōem. ſicut di
cit Ihero. Uirgo aūt cognouit ꝑ experien
tiam ⁊ inuiſceratōem. Dicant igit̄ archā-
geli. In nrō debes agmine numerari vt te
habeamus ſociā quā ſcimus dei ſecretuꝫ
fuiſſe expertam. Noſtri eñ ſuperioꝛes a deo
cognouerunt per inſpiratōnem. noſtri me
dij a ſuperioꝛibꝰ per illuminationem. noſtri
inferioꝛes ab ipſis medijs per predicatio
nem. reuera tu virgo beata cognouiſti ꝑ be
atam experientiā ⁊ inuiſceratōem. Rñdit
illa ⁊ dicit. Non vos deſero ſed ſicut bal-
ſamū aromatizans intervos maneo. Si
cut enim dicit gloſa ibi Oia que in balſa
mo ſunt virtuoſa ſunt. ſcꝫ lignum. coꝛtex
ſemen ⁊ liquoꝛ. Similiter omnia que in
virgine fuerunt. Per lignū namqꝫ intelli
gitur ipſius beate marie coꝛpus virgineū
per coꝛticē eius exterioꝛ ꝯuerſatio. per ſe-
men eius anima que fuerat in tam puro
coꝛꝑe ſeminata. per liquoꝛē ſiue balſamū
eius filius benedictus intelligitur. Dicat
ergo. a vobis non recedo ſed ſicut odoꝛ bal
ſami vobiſcum maneo. qui quidem odoꝛ
cauſatur ex carne mea virginea. ex conuer
ſatione clara. ⁊ ex anima ſancta. ⁊ ex pro-
le beata ❡ Sequitur oꝛdo virtutum quoꝝ
eſt miracula operari. Scḋm autem Au-
guſtinū boni angeli miracula faciunt. nō
aliquid de nouo creando. ſed deo miniſte
rium exhibendo. Boni autem chriſtiani
miracula faciunt per publicam iuſticiam.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

mali autem per ſigna publice iuſticie. Et
põt vocari publica iuſticia. aut fides vera
Math. xvij. Si habueritis fidem ſicut
granũ ſinapis ⁊c. aut orõ deuota Jacobi
v. Helias homo erat ⁊c. aut vita pfecta.
Pſal. Voluntatem timentium ſe faciet.
Iſtam autem publicã iuſticiam mali nõ
habent. ſed quãdoqꝫ habere videntur. Pro
prie autẽ ſolus deus miracula facere po
teſt. quia ipſe ſolus omnipotentiã habet.
Precipue tamen in virginis vtero opa
tus eſt miraculum miraculorum. Primo
namqꝫ fuit ſubitum. Greg. Angelo nun
ciante ⁊ ſpũſancto aduenĩete mox verbũ
in vtero mox intrauit vteꝝ. verbum caro
Fuit inſolitum. ideo dicitur nouum. Jere.
xxxi. Nouũ faciet dominus ſup terrã ⁊c.
Fuit ſupra ſpem expectantiũ. Fuit ſupra
facultatem nature vſus rõnis ⁊ mentis.
Hieroni. Qđ natura non habet vſus ne
ſciuit. ignorauit ratio. mens non capit hu
mana. hoc totum p gabrielem marie di
uinitus nunciatur. Ipſa etiam beata virgo
multa miracula eſt operata. quia habebat
fidem veram. Lu. j. Beata que credidiſti
Orationem deuotam Act. j. Hi omnes
pſeuerantes in oratiõe cum maria matre
ihesu. vitam pfectam. quia habuit vitam
actiuam ⁊ ꝯtemplatiuam. Dicant igitur
virtutes. Noſtrã tua debes preſentia illu
ſtrare ſocietatem que tantam accepiſti in
faciendis miraculis poteſtatem. modo p
fidem veram. modo p orationem deuotã
modo p vitam ſanctam. Sed in tuo vte
ro deus operatus ẽ miraculum miraculoꝝ
ad cuius comparationem noſtra miracula
videntur fore nulla. Reſpondit illa ⁊ dicit
Non vos deſero. ſed ſicut myrra electa in
ter vos maneo. Eſt autẽ myrra prima ele
cta atqꝫ pbatiſſima. Myrra prima peni
tentia eſt innocentiũ. Canti. v. Manus
mee diſtillauerũt myrram primã. Mirra
electa eſt penitẽtia clauſtralium qui dicũt
Elegi abiectꝰ eẽ in domo dei mei. Myrra
autem pbatiſſima eſt penitentia pfectoꝝ
qui pro ſolo deſiderio patrie ſe affligunt.
Beata autem virgo fuit innocentiſſima.
fuit de mundo in matrem dei electa. ⁊ fuit
celeſtium deſideriorũ anxia. Dicat ergo
Non vos deſero ſed vobiſcum maneo et
odore mirre prime qui ꝯſurgit ex virtute
mee innocẽtie ⁊ ex odore mirre electe. qui
ꝯſurgit ex materna electõe. ⁊ odore mirre
pbatiſſime q ꝯſurgit ex deſiderio celeſtis
patrie. Tranſactis ordinibus inferioris
ierarchie peruenit ad ordines medie qui
ſunt poteſtates. principatus ⁊ dominati
ones. Officium autem poteſtatum eſt ar
cere demones ne tantũ noceant quantum
velint. Iſtud officiũ beata virgo habuit
de qua dicitur Gene. iij. Ipſa conteret ca
put tuum. Per caput poteſt intelligi ſug
geſtio demonis vel poteſtas vel aſtutia.
Ipſa autem omnes ſuggeſtiões expulit
⁊ poteſtatem abſtulit ⁊ aſtutiam ꝯpulſa
uit. Dicant ergo poteſtates Nobiſcum o
domina eſſe debes. nobis enim cõmiſſum
eſt vt demones refrenemus. Tu aũt non
tm̃ refrenaſti ſed ⁊ ſuggeſtionem ꝯtriuiſti
poteſtatem abſtuliſti. aſtutiam ꝯpulſaſti.
Reſpondet illa ⁊ dicit. Nõ vos deſero ſꝫ
tãqꝫ ſtorax ſcdm gloſam arbor arabie. cu
ius virgule lacrimas fluũt ex quibꝫ pig
mentum ꝯficitur precioſum. Et que eſt iſta
ſtorax lacrimas fluens niſi virgo Maria
ſepe lacrimas ⁊ ſuſpiria emittẽs. Hec ẽ
eſt illa axa de qua legitur Joſue. xv. Que
ſedens aſino. i. preſidens corpori ſuo ſuſ
pirauit ⁊ ab ipſo patre quatuor impetra
uit. ſ. terram arentem. auſtralem irriguũ
ſupius ⁊ inferius. Virgo enim beata per
ſua ſuſpiria ⁊ deſideria impetrauit. terram
arentem. i. ipſam carnem ab omni hũore
ꝯcupiſcentie exſiccatam. Et auſtralem. i.
animam flatu ſpũſſancti inflãmatam. Et
irriguũ ſupius. i. ihesu chriſti diuinitatẽ.
Et inferius. i. eius humanitatẽ. Dicat
ergo Non vos deſero ſed tanquã ſtorax

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

vobiſcum maneo. q꞉ vobiſcū manet odoꝛ lacrimaruꝫ per quas impetrare merui carnem moꝛtificatam. animā inflammatā. ⁊ diuinitatem ſupremā. ⁊ humanitatem veram. ¶ Sequit̄ oꝛdo principatuum quoꝝ officiū eſt regnis ⁊ ꝓuincijs preſidere. hoſtes ꝯprimere. bonos cuſtodire. demones arcere. ⁊ in tribulationibꝫ ꝓtegere. Iſtud quintuplex officium habuit virgo maria. Eccī. xxiiij. In omni gente ⁊ in omni populo principatū habui. ecce q꞉ ſuper omnes principatū gerit. omniū excellentiū ⁊ ſublimiū colla calcaui. ecce q꞉ hoſtes ꝯprimit. Gyꝝ celi ſola circuiui. ecce q꞉ bonos cuſtodit. ⁊ ꝓfundum abyſſi penetraui. ecce q꞉ demones ipſa expellit. ⁊ in fluctibus maris ambulaui. ecce q꞉ in tribulatōnibꝫ ꝓtegit. Dicant ergo principatus In noſtro ſtare debes oꝛdine que ſic in omni gēte principatū geris. ſic hoſtes ꝯprimis ſic ⁊ bonos cuſtodis. ſic demones ꝯteris. ſic in tribulatione ꝓtegis. Reſpondet illa et dicit. Non vos deſero ſed ſicut galbanus in vobis maneo Scd̄m aūt yſido. galbanus eſt ſuccus herbe que ferula dicit̄. que quidem vulnera ſanat. ſerpentes fugat. frigidas paſſiones curat. Dicat idcirco virgo maria. Non vos deſero. ſed vobiſcum remanet odoꝛ pietatis mee qua peccatoꝝ vulnera ſepe ſanaui. Virtus poteſtatis mee qua demonū temptationes ſepius refrenaui. ⁊ ardoꝛ caritatis mee vobiſcū manet qua caritate mediante tepidos ad amoꝛē celeſtium inflāmaui. ¶ Sequit̄ oꝛdo dominationum quoꝝ eſt officium ſubditos ſibi angelos purgare. illuminare. ⁊ perficere. Iſtud triplex officiuꝫ maria habet que a culpa purgat affectiuam. ab ignoꝛantia illuminat intellectiuam. ⁊ ab infirmitate perficit operatiuam. Dicant igit̄ dominationes. Preſentiaꝫ tuam domina nobis non ſubtrahas que plenius q̄ꝫ nos purgationes. illuminatōes. ⁊ perfectiones omnibꝫ adminiſtras. Reſpondet illa ⁊ dicit Non vos deſero ſꝫ quaſi vngula inter vos maneo. Eſt autem vngula ſcd̄m gloſam oſtrea parua ſuaue redolens habens formam vnguis humane. Vngula auteꝫ eſt lucida adeo vt tanq̄m in ſpeculo pleriqꝫ imagines in ea ꝯtemplentur. ⁊ ſignificat virginem que dei ſpeculū facta fuit. Speculū namqꝫ ex vitro ⁊ ex plumbo eſt Per vitꝝ eius lucida virginitas. per plumbū eius ductrix humilitas deſignatur. Nec ſola virginitas. nec ſola humilitas eam feciſſet ſpeculum dei. Coniuncta eſt igit̄ virginitas ipſi humilitati. ⁊ ſic factū eſt ſpeculum dei in quo refulſit xp̄s qui eſt ymago dei patris. Vngula etiam carni inſeparabiliter eſt ꝯiuncta. ſic ⁊ virgo maria per amoꝛem xp̄o inſeparabiliter eſt ꝯiuncta ⁊ vnita. Vngula etiam licet ſit inſenſibilis tamen in ſeparatōe a carne doloꝛ intolerabilis ſit. ſic ⁊ maria licet inſenſibilis mūdo fuerit. intolerabilem tamen doloꝛē habuit quando ſeparabatur a filio. Dicat ergo maria. Non vos deſero ſed vobiſcum ſicut vngula maneo. ⁊ ſicut ſpeculum dei ſicut amica dei. ſicut mr̄ dei. ¶ Trāſactis oꝛdinibꝫ inferioꝛis ⁊ medie ierarchie. peruenit ad oꝛdines ſupreme ierarchie qui ſunt throni. cherubin. ⁊ ſeraphin. Thronoꝝ āt officiū eſt ꝙ ſuꝑ eos deus quieſcit ⁊ ſedet ⁊ iudicia exercet. Virgo aūt maria ē thronus mīe. grē. ⁊ gloꝛie. Eſt enim thronus mīe pctōꝛibꝫ. grē iuſtis ⁊ gloꝛie beatis. P̄s Thronus eius ſic̄ ſol in ꝯſpectu meo ⁊c̄. Ipſa eñ eſt ſicut ſol beatis quibꝫ ē in magnā gloꝛiā ſicut luna iuſtis inq̄ꝫtum ē mediatrix impetrando eis celeſtem grām. ⁊ teſtis in celo fidelis peccatoꝛibꝫ aduocādo ꝓ eis ⁊ impetrando miſericoꝛdiā. Dicant igit̄ throni ad eam Nobiſcum eſſe debes. in cuius vtero deus nouem menſibꝫ requieuit. in qua tanq̄ꝫ in throno deus nō exercet iudicia punientis ſed potius mīe iuſtificantis. grē ꝯſeruantis. ⁊ gloꝛie coꝛonantis. Rñdet illa ⁊ dicit. Nō vos deſero ſed

tanqꝫ gutta inter vos maneo. Gutta ſin gloſam lacrimas ſtillat que omnes duricias ſanat. Olim namqꝫ erant tria dura ſcꝫ deus qui nullum ad miſericordiā ſuſcipiebat Mors que omnes ad īferos rapiebat. ⁊ diabolus qui hoſtiliter ſeuiebat Sed virgo ſic deum emolliuit vt omnes ad miſericordiam ſuſcipet. ſic mortem cōtriuit vt iam ſanctos non rapiat. ſic diabolum ſuꝑauit vt iam nullum niſi volentem decipiat Dicat ergo virgo beata Nō vos deſero. ſed ſicut gutta vobiſcum maneo. quia vobiſcum remanet odor meus cum quo deum emolliui ⁊ quo mortē cōtriui. ⁊ quo diabolum ſuꝑaui. ¶ Sequitur ordo ſcꝫ cherubin qui interpretatur plenitudo ſcientie. Scientia autē virginis excellit omnem ſcientiam angelicam ⁊ humanam. Dicant igitᷣ cherubin. Nobiſcū eſſe debes. que etiam in via tantam cognitionem habuiſti. ⁊ ſcientiam modo audiendo ꝑ inſpirationem. modo videndo ꝑ ꝯtemplatōnem modo tangendo ꝑ operationem. modo guſtando ꝑ affectionem. modo orando ꝑ deuotionem. Nunc autē pre ceteris cognitōnem habes videndo ꝑ apertam viſionē. Reſpondet illa ⁊ dicit. Non vos deſero ſed ſicut libanus nō inciſus vobiſcum maneo. Libanus candidatio interpretatᷣ. In virgine autem tria fuerunt candida ⁊ nunqꝫ inciſa. j. Theſ. v. Integer ſpiritus veſter ⁊ anima ⁊ corpus ſine querela ſeruetur. Ipſius autem ſpiritus indiuiſus fuit. quia nunqꝫ a deo ſuꝑari potuit. Eius anima indiuiſa quia nunqꝫ a dominio rōis receſſit Eius nāqꝫ corpus fuit indiuiſum. quia ſemꝑ integrū ꝑmanſit. Dicat igitᷣ Non vos deſero ſed ſicut libanus non inciſus vobiſcum ꝑmaneo. quia multū vos delectari debet odor ſpūs mei qui a deo nunqꝫ ſeparatus fuit odor anime mee qui nunqꝫ a dominio rationis receſſit. ⁊ odor corpis mei. qui ſꝑ ¶ illibatus ꝑmāſit. Sequitᷣ ordo ſeraphin qui interpretantᷣ ardentes. Sicut namqꝫ dicit Bern. Voluntas quando veritati ꝑ gratiam aſſociatᷣ ⁊ ſurſum tendit. amor ē cum ꝓmouetᷣ ⁊ ab ipſa gratia ⁊ lactatur. dilectio eſt. Cum vero apprehendit tenet ⁊ fruitᷣ caritas eſt. Quando igitur gratia dei cor virginis ſurſum eleuabat generabat in ipſa amorem. quando ꝓmouebat dilectōnem. quando cum dilecto eam totaliter vniebat. faciebat ī eius animo caritatē. Dicant ergo illi d̄ ordine ſeraphin Nobiſcum domina remanere debes que plena fuiſti tanto amore. tanta dilectione ⁊ tanta caritate. Reſpondet illa ⁊ dicit. Non vos deſero ſed tanqꝫ balſamum nō mixtum vobiſcum maneo Sicut namqꝫ dicit Iſidorus ⁊ habetur in gloſa Balſamū non mixtum per tria cognoſcitᷣ ſcꝫ qꝛ lac coagulat. quando in aqua nō ſupenatat ⁊ quando laneam veſtem nō maculat Tunc igitᷣ verus amor dei eſſe cognoſcitᷣ quando cor cum deo totaliter vnitᷣ. ꝑ ſuꝑbiam nō eleuatur. ⁊ nulla macula peccati polluitᷣ. Iſto mō fuit in virgine que oēs ſuas volūtates in deo vniebat ſuꝑ alios ſe non eleuabat. ⁊ nulli peccati maculam habebat Dicat ergo A vobis non recedo ſed quaſi balſamū non mixtum. i. ꝑ amorem purū vobiſcum maneo. quem quidē purū ſepe in me ꝓbaſtis ⁊ ꝑ cordis cū deo vnitatem ⁊ ꝑ ꝓfundā humilitatem. ⁊ ꝑ peccati omnimodā immunitatē

¶ Eodem die Sermo. viij.

In habitatione ſancta coram ipſo miniſtraui Eccle. xxiiij. capi. In verbis premiſſis primo cōmendatur habitatio cum dicitᷣ. In habitatōe ſancta. Secūdo ipſius habitatricis officij executio cū dicitᷣ Cora ipō miniſtraui ¶ Sancta namqꝫ habitatio dicitur celeſtis patria iuxta quadruplicem acceptionem huius nominis quod eſt ſanctū. Eſt enim ſancta. i. mūda ⁊ ꝯſtrū ad ipſam habitatōꝫ Apocal. xxi. Ipſa ciuitas aurū mundū. ⁊

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

quantum ad ipſum habitatorem vt ibidē
Non intrabit in illā aliquid coinquinatū
Nec aūt habitatio terrena eſt immunda.
⁊ q̄ꝫtum ad habitationē. Iere.iij. Pol-
luiſti terram in fornicationib9 tuis. ⁊ quā
tum ad habitatorem Eiuſdē.ij. Quō di
cis. Non ſum polluta ⁊c. Secundo ſanc
ta eſt idem qđ firma. ⁊ quantū ad habita
tionem. ps. Fundamenta eius in monti-
bus ſanctis. ⁊ q̄ꝫtum ad habitatorē Apo
ca.iij. Qui vicerit faciā illum columnā in
templo dei mei. Nec aūt habitatio terre-
na non eſt firma q̄ꝫtum ad ſe.j. Johan.ij.
Mundus tranſit ⁊ ꝯcupiſcentia eius. nec
q̄ꝫtum ad habitatorem. Job.xiij. Nō na
tus de muliere ⁊c. Tercio dr̄ ſancta.i.ſa-
cro vſui deputata. ⁊ q̄ꝫtum ad ſe. qꝛ depu
tata eſt ad ꝓducendum roſas martirū.li
banum.i.thus odoriferū confeſſorū. ⁊ lilia
virginū. Ecci.xxxix. Quaſi roſe plantate
ſup riuos aquaꝝ fructificantes ⁊ quaſi li
banus odorē ſuauitatis hn̄tes ⁊c. Et quā
tum ad habitatorē qui deputatus eſt ibi
ad laudandū deum. ps. Beati qui hitant
in domo tua dn̄e in ſecula ſeculoꝝ lauda-
bunt te. Nec aūt habitatio terrena eſt ma
lo vſui deputata. ſcꝫ ad ꝓducendū ſpinas
tribulos ⁊ vrticas .i. homines ſupbos. a-
uaros. ⁊ luxurioſos. Et q̄ꝫtum ad habi-
tatorem qui deputauit ſe ad mentiendū ⁊
ad furandū. ⁊ hmōi. Oſee.iiij. Maledi-
ctū ⁊ mendaciū. ⁊ homicidium ⁊ furtū. ⁊
adulteriū inundauerunt. Quarto eſt ſan
cta.i. ſanguine tincta. ⁊ q̄ꝫtum ad ſe. quia
eius ianua fuit ſanguine chriſti reſerata.
Hoc ſignificatū eſt Exo.xij. vbi precepit
dn̄s ꝙ de ſanguine agni linirent poſtes.
Et quantum ad habitatores qui xp̄i ſan
guine ſunt redempti Apoca.j. Lauit nos
a peccatis noſtris in ſanguine ſuo. Nec
aūt habitatio terrena tincta eſt ſanguine
malo. ⁊ q̄ꝫtum ad ſe ſcꝫ ſanguine homici-
dij. ps. Interfecta eſt terra in ſanguinib9
Et q̄ꝫtum ad hitatorem. ſcꝫ ſanguine pec

cati. Iſay.lix. Manus veſtre pollute ſunt
ſanguine. Secundo ꝯmendatᷣ in habita
trice ſui officij executio cum dr̄. Coraꝫ ip-
ſo miniſtraui. Deus enim ſuam miniſtrā
⁊ officialem eā fecit. ⁊ multiplex miniſte-
rium ⁊ officium ſibi ꝯmiſit. Primū eſt ele
moſinaria celi. ⁊ iſta elemoſinaria non eſt
tenax nec auara. Prouer.vlti. Manū ſu
am aperuit inopi. ⁊ palmas ſuas extēdit
ad pauperes. Cuius liberalitas in tribus
determinatᷣ. Et qꝛ brachiū verſus pecca-
tores extenſum tenet. ⁊ qꝛ manus aptas
habet. ⁊ qꝛ manus plenas elemoſinis poſ
ſidet. Per brachiū extenſum potentia. ꝑ
manū apertam ſcientia. ꝑ manū plenam
liberalitas deſignatᷣ Tenet igitᷣ brachium
qꝛ poteſt omnib9 miſereri. Tenet manum
apertam. qꝛ ſcit optimo tp̄e miſereri. Te-
net etiam manū plenam. qꝛ vult omnib9
omni tp̄e miſereri Sed de liberalitate iſti
us elemoſinarie dr̄ ibidem. De nocte ſur
rexit. dedit predā domeſticis ſuis. ⁊ ciba-
ria ancillis ſuis. Et infra. Omnes dome
ſtici eius veſtiti ſunt duplicib9. Habet vir
go ancillas.i. animas dei precepta ſeruā
tes. Iſtis cibaria impendit. qꝛ cibo diui-
ne gratie eas paſcit. Habet etiā domeſti-
cos.i. viros pfectos. ⁊ iſtos veſtit dupli-
cib9. qꝛ ⁊ animā veſtit virtute ⁊ corpus ve
ſtit candore innocentie. Habet filios ⁊ ſe-
cretarios qui ſcꝫ virginitate ſunt prediti ⁊
ſibi intima deuotōe ꝯiuncti. ⁊ iſtis dat ꝓ-
dam.i. gratiaꝝ ⁊ virtutū abundantiā copi
oſam. Scđm miniſteriū eſt. qꝛ facta eſt
cellaria ſpūſſancti. vnde ipſa dicit Cant.
ij. Introduxit me rex in cellā vinariā. De
iſta cella ꝓpinat vinum ſanctis qui ſunt in
via ad aliqualē ſocietatē. ⁊ illis qui ſunt
in patria ad plenā ebrietatem. Cantic.v.
Bibite amici ⁊ inebriamini cariſſimi. Iō
aſſimilatᷣ cratheri nunq̄ꝫ deficienti. Cant.
v. Umbilicus tuus ſicut crather tornati-
lis nunq̄ꝫ indigens poculis. Ipſa eñ eſt
crather in q̄ꝫtum ſꝑ infūdit. ⁊ ē tornatilis

inꝙ̃tum circum circa ſemꝑ vadit. Et eſt nunꝙ̃ indigens poculis inꝙ̃tum nunꝙ̃ euacuat̃ ſed ſemꝑ plena exiſtit. Illo autē cibo nos paſcit ⁊ potu reficit quo ſeipam fouet ⁊ ſuſtentat Ut ibidem. Comedi fauū cum melle meo. bibi vinum meū cum lacte meo. Ipſa fauū cum melle comedit ſcʒ quādo chriſtum in quo eſt cera humanitatis ⁊ mel diuinitatis ī ſuo vtero portauit. Ipſa vinum cuʒ lacte bibit. quādo ſpūſſanctus ⁊ in eius animam impleuit vino celeſtis gratie ⁊ carnem ꝑfudit lacte virginalis mundicie. Eodem mō paſcit nos fauo quando ⁊ nos facit delectari circa chriſti humanitatem ⁊ paſcit melle qñ nos facit delectari circa criſti diuinitatē Et ſimiliter nos potat vino ⁊ lacte. quando dat nobis ſpiritualem leticiam in mente ⁊ mundiciam in carne. Terciū miniſteriū eſt. qꝛ facta eſt theſauraria dei. Habet quidem deus theſauꝝ potētie. ſapientie ⁊ miſericordie. Ipſa namꝙ̃ habet theſaurum potentie. ꝑ quem theſauꝝ ipſa deum potenter ad ſe traxit. Canticoꝝ. primo cap̃. Cum eſſet rex in accubitu ſuo ⁊c̃. quo potenter diabolū ꝯtriuit Gene. iij. capitulo Ipſa ꝯteret caput tuū. quo nos potenter in celeſtem gloriā introducit Eccle. xxiiij. In iheruſalem poteſtas mea. Habet theſaurum ſapientie ꝑ quam nobis diuinaꝫ cognitionem infudit Ecceſi. xxiiij. capi. Ego mater pulchre dilectōnis ⁊ agnitōnis Et in mari preſentis ſeculi nos ſapienter dirigit. Ideo vocatur ſtella maris ⁊ actus noſtros ſapiēter diſponit Prouer. xiiij. Sapiens mulier domum ſuam edificat ⁊c̃. habet theſauruꝫ miſericordie quē largiter diſpenſat. Eccleſ. xxiiij. capitulo. In plenitudine ſanctorum detentio mea. Diſpenſat cōmuniter vt ibidem dicitur. Tranſite ad me omnes qui cōcupiſcitis me ⁊c̃. Diſpenſat faciliter quia nō permittit ſe diutius rogari. Eccle. iiij. capi. Cor inopis ne afflixeris ⁊ ne protrahas datū anguſtianti Diſpenſat ſapiēter qꝛ quādo eſt maior neceſſitas. ideo vocat̃ luna. qꝛ lucet in nocte aduerſitatis quādo ſol abſcondit ſe. lucet vicina terre. id eſt peccatoribus ⁊ humiliatis. Quartum miniſteriuꝫ eſt. qꝛ eſt oſtiaria paradiſi. Ipſa nāꝙ̃ eſt oſtiū ꝑ quod ad paradiſum intramus qḋ ꝑ euam clauſum eſt ſed ꝑ eam apertum Ipſa enim eſt que nos ſuis meritis in atrium principis introducit. Unde dicitur Johan. xviij. Ancilla oſtiaria virgo maria que ſe ancillam nominauit petrum in atrium principis introduxit. Ipſa nanꙗ̃ virgo maria eſt feneſtra ꝑ quam deus oculo miſericordie nos reſpicit. Unde de ea cantat eccleſia Intrēt vt aſtra flebiles celi feneſtra facta es. Ipſa enim eſt feneſtraria que nobis viſcera ſue miſericordie aperuit vnḋ ſepe eſt roganda. Aperi mihi ſoror mea. amica mea ⁊c̃. Quintum miniſterium ē quia eſt aduocata generis humani. bonus aduocatus debet habere diligentiam ⁊ coram rege aliquam potētiā ⁊ coram familia regis magnam gratiam ⁊ in ꝓponendis allegatōibus magnam ſapientiam. Iſta quatuor ſunt in maria. que etiā de ea tangit ꝓpheta dicens Aſtitit a dextris tuis ecce quāte diligentie regina. ecce quante potentie. in veſtitu deaurato. ecce ergo quante ſapientie. ꝑ aurum enim ſapientia deſignat̃. circūdata varietate. i. ſanctoꝝ multiplicitate. ecce quāte in ꝯſpectu familie regis beniuolentie ⁊ reuerentie. ibi enim eſt color aureus apoſtolorum. rubeus martyꝝ. celeſtis ꝯfeſſoꝝ. albus virginū. Omnes enim iſti virginē circūdant ⁊ eam tanꝙ̃ reginam ſuam aſſociant.

Eodem die Sermo. ix.

Maria optimam partem elegit q̃ non auferet̃ ⁊c̃. Lu. x. Iſtud verbum proprie nulli competit niſi virgini marie. nec deo nec angelo nec hoī. Homo enim vel angelus qui optimam

partem habet nullus eſt. Deus autē non
tenet partē ſed totū. Sola nāqꝫ ipſa op-
timā partem habet. q̄ eſt media inter cre-
atorem qui totū tenet. ⁊ oēm aliam crea-
turā que bonā vel meliorē ꝑtem poſſidet.
Jſta aūt ꝑs optima quam elegit intelligi
tur ⁊ in vita p̄n̄ti. ⁊ in vita celeſti. Naꝫ in
vita p̄n̄ti multiplicē partē optimā habu-
it. quaꝝ prima ꝯſideratꝰ q̄ꝫtum ad caſtita
tis ꝯſeruationem. Caſtitas aūt tres ꝑtes
habet. Una namqꝫ eſt caſtitas ꝯiugalis.
⁊ iſta vtiqꝫ eſt ꝑs bona que habet fructuꝫ
triceſimū. Secunda eſt caſtitas vidualis
⁊ iſta eſt ꝑs melior. ⁊ iſta habet fructū ſex
ageſimū. Tercia eſt excellentia virginalis
⁊ iſta eſt ꝑs optima. q̄ habet fructū cente
ſimū. ⁊ iſtam ꝑtem optimā elegit. Ut tn̄
oſtenderet ꝙ fuit ꝑſona ꝯmunis voluit eē
ꝯiugata cū ꝯiugatis. ⁊ vidua cū viduis.
⁊ immaculata cū immaculatis. ¶ Secūdo
ꝯſideratur q̄ꝫtum ad vite perfectōem. Eſt
enim actiua vita que eſt ꝑs bona. vita cō
templatiua que eſt ꝑs melior. ⁊ ex vtraqꝫ
ꝯpoſita que eſt ꝑs optima. ⁊ iſtam virgo
maria elegit. Jdeo ſignificatꝰ per illas du
as ſorores ſcꝫ per marthā que fuit actiua
⁊ per magdalenā que fuit cōtemplatiua.
Et q̄ actiua intendit ꝓximo. ꝯtemplatiā
deo. magna laus fuit in virgine que vtrā
qꝫ vitam circa filiū ſuum deuote exercuit.
Nam quantū ad diuinitatē ꝯtemplatio-
ni eius ſemꝑ intenta fuit. Quantuꝫ vero
ad humanitatem ſibi ſedule miniſtrauit.
q̄ ſibi domū eburneā preparauit. ipſum
carne purpurea induit. lacte d̄ celo ſubmi
niſtrato cibauit ac potauit in tribulatione
⁊ in cruce poſitum viſitauit. ¶ Tercia acci-
pitur quantū ad gratie cumulatōem. De
us enī habet quadruplicē menſuram. de
qua dꝛ Luce. vj. ſcꝫ bonā que eſt ad iuſti-
ficatōem. ⁊ hec eſt pars bona. ꝯfertam ſcꝫ
qn̄ alicui vltra ꝯfertur ſcꝫ ad ſui iuſtificati
onē ⁊ ad alioꝝ ſaluatōem. ⁊ hec eſt ꝑs me
lior. Coagitatā qn̄ deus gratiam agitādo
in anima ꝯfirmat. ſicut quando fuit in vte
ro ſanctificata ⁊ hec eſt pars optima. Su
pereffluentē que de ſua plenitudine aliis
effundit. ⁊ hec eſt pars optima que fuit in
xp̄o ⁊ matre eius. ¶ Quarto accipitꝛ ⁊ ꝯſide
ratur q̄ꝫtum ad ꝑfectam humiliationem
Eſt aūt triplex gradus humilitatis. Pri
mus ſcꝫ ſubiici ſuo ſuperiori. ⁊ hec eſt bo-
na. Secūdus vero eſt ſubiici ſuo equali.
⁊ hec eſt ꝑs melior. Tercius ē ſubiici ſuo
inferiori. ⁊ hec eſt ꝑs optima. Uirgo enī
beata non ſolū ſubiecta fuit ſuperiori. id ē
deo. ⁊ non ſolū fuit ſubiecta equali. i. ſuo
ſponſo. ſed etiā ſubiecta fuit ſuo inferiori
id eſt elizabeth. apud quam trib' menſib'
ibidē manſit atqꝫ ſibi deuote ſeruiuit. Jp
ſa namqꝫ virgo de deo ſentiebat digna. de
ſeipſa ꝑua. ⁊ de ꝓximo magna. ¶ Quinta
ꝑs accipitur q̄ꝫtum ad ſtudiū ⁊ oꝑatōem
Quidā enim intendūt ꝓximo per erudíti
onē. ⁊ hec eſt pars bona. Alii intendūt ſi
bi per diſcuſſionē. ⁊ hec eſt pars melior. a
lii intendunt deo per vacationeꝫ. ⁊ hec eſt
pars optima. Uirgo maria ⁊ ꝓximo intē
debat per doctrinā ⁊ ſibi per cuſtodiā. ⁊ ip
ſi deo per meditationē internā. Unde po-
terat dicere cū ꝑ̄s lxx. Meditatus ſuꝫ no
cte cū corde meo deo ſcꝫ vacando. ⁊ exerci
tabar ꝓximū ſcꝫ erudiendo. ⁊ ſcopebā ſpi
ritū meū me ſcꝫ diſcutiendo. ¶ Secūdo ha
bet partē optimaꝫ in vita celeſti. ⁊ iſta ꝑs
ꝯſiderari poteſt quantū ad quinqꝫ. Prīo
quantū ad ſubiectū qd̄ glorificatū eſt. q̄
ſcꝫ in corpore ⁊ in aīa eſt glorificata. Glo
ria nāqꝫ quaꝫ deus dat ſuis ſanctis tres
habet ꝑtes Una eſt que glorificat eoꝝ cor
pora in terris. ſicut corpus beati petri ⁊ ſcī
Jacobi apoſtoloꝝ. ⁊ hec eſt bona ꝑs. Ec
cī. xliiij. Corpa eoꝝ in pace ſepulta ſunt.
⁊c. Alia eſt qua glorificat eoꝝ animas in
celo. ⁊ hec eſt ꝑs melior. Apoca. vj. Date
ſunt eis ſingule ſtole albe. Tercia eſt qua
glorificat vtrumqꝫ. ⁊ hec eſt pars optima.
⁊ iſtā partem Maria elegit. Petrus aūt

⁊ paulus habent partem bonam. q̄ꝛ eoꝝ
corpora honorant̄ in terris. Et ꝑtem me-
liorem. q̄ꝛ eoꝝ anime glorificant̄ in celis
ſed non habent partem optimā. q̄ꝛ ipſorū
corꝑa iacent in ſepulcris. Alij ſancti vo-
lauerunt in celum cum vna ala. i. cū dote
anime. Iſta aūt eſt mulier que volauit cū
duab⁹ alis. i. cum glorificatōne corꝑis ⁊
anime vt habet̄ Apoca. xij. Alijs ſanctis
dat̄ vna ſtola. hec eſt autem illa d̄ qua d̄r
Prouer. vlt. Byſſus ⁊ purpura indumē-
¶ tum eius. Scd̄o ꝯſiderat̄ quātū ad mo-
dum quo aſſumpta eſt. Quidā enim ſctī
aſſumunt̄ ⁊ in celum deducunt̄ ꝑ angelū
vnū ⁊ hec eſt pars bona Alij deducuntur
ꝑ plures angelos ⁊ hec eſt pars melior.
ſed pars optima eſſet ſi omnes angeli et
ſancti obuiarent ⁊ omnes vna cū chriſto
aduenirent. et ipſe chriſtus ꝑſonaliter ad
ueniret. ⁊ iſtam partem habuit virgo ma
¶ ria. Tercio ꝯſiderat̄ quantum ad locum
quem ſortita eſt. Quidam eniꝫ aſſociant̄
angelis infime ierarchie ⁊ hec ē ꝑs bona.
Alij angelis medie ierarchie ⁊ ē pars me
lior. Alij vero angelis ſupreme ierarchie
⁊ hec eſt pars optima Maria autem ſuꝑ
omnes angelos eſt exaltata. ⁊ ſuꝑ altitu
dinem ſanctoꝝ eleuata ⁊ ad dexteraꝫ filij
collocata ideo habet partem optimam.
¶ Quarto ꝯſiderat̄ quantum ad premiuꝫ
quo beatificata eſt. Beatitudo enim tres
habet partes. vna eſt beatitudo animaruꝫ
que adhuc eſt imꝑfecta. ⁊ hec eſt pars bo
na. Alia eſt beatitudo ipſoꝝ angeloꝝ que
eſt completa. ⁊ hec eſt pars melior. Alia
eſt filij que eſt ꝯſummata. ⁊ hec eſt pars
optima. ⁊ iſtam partem optimam elegit
Maria. que in anima ꝯſummatam glo-
¶ riam recepit. Quinto ꝯſideratur quantū
ad officium quod ſibi commiſſuꝫ eſt. Eſt
namqꝫ marie cōmiſſum officiū adiuuādi
aduocandi ⁊ miſerendi. Adiuuat quidē
hominem in vita. in morte ⁊ poſt mortem
Unde cantat̄ Maria mater gratie mater
miſericordie. tu nos ab hoſte protege ⁊c̄.
Nam ⁊ ipſa in vita bonos in gratia ꝯſer
uat. ⁊ malis miſcd̄iam impetrat. Idcirco
dicit̄ Mater gratie ⁊ mater miſericordie
⁊ hec eſt pars bona. In morte a diabolo
defendit. idcirco ſubdit̄ Tu nos ab hoſte
ꝓtege. ⁊ hec eſt pars melior. Poſt mortē
animas noſtras ſuſcipit ⁊ in celum dedu
cit. Ideo ſubdit̄ In hora mortis ſuſcipe.
¶ ⁊ hec eſt pars optima. Secūdo virgo glo
rioſa Maria habet officium aduocandi.
In qua aduocatiōe more periti aduocati
primo captat beniuolentiaꝫ deinde noſtrā
inſinuat miſeriā. deinde deum inclinat ad
miſericordiā. Scire autem beniuolentiaꝫ
dei captare ē bona pars. Scire miſerias
⁊ neceſſitates oſ̄dere eſt pars melior. Sꝫ
ſcire deū ad miſcd̄iaꝫ inducere ē ꝑs optīa
Ideo ſignificat̄ ꝑ illā mulierē ſapientiſſi
mam. de qua agit̄ .ij. Reg. xiiij. Captat
enī primo beniuolentiā dicens Sicut an
gelus dn̄i. ſic ⁊ dn̄s meus rex vt nec ma
ledictōne nec benedictōe moueat̄. Deus
nāqꝫ nec ex maledictiōe peccatoꝝ mouet̄
ad iraſcendum. Sap̄. xij. Tu autem dn̄a
virtutis cum trāquillitate iudicas. Nec
etiā mouet̄ deus ex benedictōnib⁹ bonoꝝ
noſtroꝝ ad improperandū nobis Iaco. j.
Dat omnib⁹ affluenter ⁊ nō improperat
Deinde noſtrā inſinuat miſeriam dicens
Oēs morimur ⁊ quaſi aque dilabimur
in terrā que non reuertunt̄ Magna nāqꝫ
ē miſeria humana quia homo ſemꝑ fluit
de culpa in culpam. quia non poteſt ꝑ ſe
redire a culpa. Ultimo petit miſericordiā
dicens. Reduc abiectum tuum. Ac ſi di-
cat. abieciſti hominem de paradiſo ad mi
ſeriam. ſed reduxiſti per paſſionem tuam
Abieciſti per culpam originalem. ſed re-
duxiſti per gratiam baptiſmalem. Unde
dicit Gregorius. Similiter ⁊ nunc abie-
ctum per actualem culpā redijt ad te ꝑ pe
¶ nitentiam. Tercio hꝫ officium miſerendi.
In iudicādo enim quidā ſequuntur ven-

tatē ꝯſcie. ⁊ hec eſt ps bona. Quidā vero
ſequunt̄ rectitudinē ipſius iuſticie. ⁊ hec ē
ps melior. q2 in ꝯſcia poſſet quis errare.
Quidam vero in iudicando ſequunt̄ tpa
mentū mīe ⁊ hec eſt ps optima Sunt nā
qȝ quidā ſcī qui ſuā ſequentes ꝯſciam ali
quib ſua ſubtrahūt ſuffragia q2 dignos
eos nō reputant grā. Deus eñ iuſticiaȝ
ſuā ſequit̄ a qua declinare non pt. Tene-
ant g̃ qui ſequi volunt cū ꝯſcia vel cū iuſti
cia. Maria aūt ſp tenebit ſe cum mīa.

¶De ſancto Bernardo.
Sermo primus.

IUſtum dedu
xit dn̄s ꝑ vias rectas. Sap.
x. Sunt quidā vie circulares
ꝑ quas vadunt hoīes mundū amantes.
ps. In circuitu impij ambulāt. Sunt et
quedā vie oblique ꝑ quas vadunt hoīes
ſeipſos diligentes. Cum g̃ amor ſit mo-
tus cordis directus in aliū. Illi nāqȝ qui
ꝑ amorē ad ſe ꝯuerterunt̄ quendā obliqui
tatē faciunt. Sed ſunt quedā vie recte ꝑ
quas vadunt deū ſuꝑ oīa diligentes. Cā.
n. j. Recti diligunt te. Per iſtas vias re- ¶
ctas bernar. iuit qui ſuꝑ oīa deum dilexit.
qd̄ pȝ ꝑ quatuor q̄ habuit. Primo nāqȝ
habuit aīm ſublimē celeſtiū ꝯtemplatōe.
Totus quidē erat in celo. ⁊ iō inſenſibi-
lis videbat̄ in mundo. vnde dr̄ in legenda
Ita totus in ſpū abſorptus ē vt iā nullis
ſenſib vteret̄ corꝑis ſicut ponit̄ exemplū
de domo teſtudinata quā ignorabat. ⁊ de
feneſtris eccīe quas non viderat. ⁊ de lacu
lauſaneñ. de quo non aduerterat. Refert
namqȝ agilius phūs ꝙ democrit9 philo
ſophus oculos ſibi erui fecit. ⁊ ſuper hoc
tripler cā a poetis aſſignat̄. Prima eſt vt
meditatōni philoſophie liberius vacaret.
Scd̄a eſt vt nō videret malos in hoc mū-
do florere Tercia ne viſio mulieꝝ eius ꝯcu
piſcentiam inflammaret. ſed beatus bern.
oculos ſibi nō eruit corꝑaliter ſed ſpūali-
ter ꝗ̄tum ad oēm vſum illicitū. nam quā
tum ad ſecundā cām ſibi ſpūaliter oclos
eruit qñ eius oculi nō erant ſibi ad impe-
dimentū. ſed ad expedimentuȝ interioris
ꝯtemplatōnis ex eo ꝙ ipē in creaturis ꝯſi
derabat dei potentiā ⁊ ſapiam ac bonita-
tem. Etiā ipē oculos ſuos eruit ſpūaliter
quo ad ſecundā cām. q2 malos non vide
bat oculo indignatōis ſed ꝯpaſſionis E-
ruit ſpūaliter ſuos oculos quo ad terciaȝ
cām. q2 eas in feīas non figebat. ſed ocu
los ſuos a feīs auertebat. vnde cū quadā
vice in quandā mulierē aliqȝdiu defixos
oculos tenuiſſet. in aquas gelidas ſe im-
merſit donec fere exanguis effectus eſt. ¶
Scd̄o habuit intellectū illuīatū diuinoꝝ
reuelatōe. Quatuor nāqȝ ſibi fuerūt preci
pue reuelata Primo dn̄ice natiuitatis mi
ſteriū Nā in nocte natiuitatis puer ihēſus
ſibi apparuit quaſi iteꝝ añ oculos eius ex
vtero mrīs naſcens. Scd̄m gloria ſcōꝝ.
Nā cū ſcūs malachias defunctus eſſet ⁊
miſſa ꝓ defunctis cantaret̄ eidē eius glīa
eſt reuelata. Tercia noticia futuroꝝ Mul
ta nāqȝ futura preuidit. ſicut pȝ in gherar
do ſuo fratre cui ſuam ꝯuerſionē predixit.
Quarta ſcīa ſcripturaꝝ. quā quidē ſciam
ſcripturaꝝ nō habuit per mgr̄i eruditōem
ſed ꝑ ꝓpriam meditatōem ⁊ orōnem. Vñ
dr̄ in eius legenda Quicq̄d in ſcripturis
didicerat ꝑ maxime in agris ⁊ in ſiluis me
ditando ⁊ orando ſe accepiſſe ꝯfitebatur.
Aut ꝑ diuinā reuelatōem. vnde dr̄ ibidē.
Confeſſus eſt aliqñ meditanti vel oranti
oēm ſacrā ſcripturaȝ melius expoſitā ſibi
apparuiſſe. Vñ etiā dicit in canti. ꝙ dum
quedā retineret q̄ alīs didicerat venit ad eū
vox. d. Donec iſtud tenueris aliud nō ac
cipies. Ex quo habet̄ ꝙ ea q̄ dicebat ſpū
ſcō reuelante dicebat ⁊ didicit. Tercio be ¶
atus ber. hūit affectū inflammatū ferven-
ti dilectōe. Nā tā ferventer deū diligebat
ꝙ in diligendo modum ſeruare neſciebat

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf